

372922

RINASCIMENTO  
MACHIAVELLI  
SERRISTORI  
II  
13  
FIRENZE

IST. NAZ. STUDI  
REG. TOSCANA

ANTI-MACHIAVELLUS,  
SIVE  
SPECIMEN DISQUISITIONUM  
A D  
P R I N C I P E M  
MACHIAVELLI,

Latine conversus, additisque diversarum Editionum discrepantibus locis in lucem editus.



AMSTELÆDAMI,  
APVD IANSONIO-WAESBERGIOS.  
clj l3 ccxxxiii.





PROOEMIUM  
AUCTORIS.

**H**oc ipsum est Princeps Machiavelli in genere morum, quod Spinozae Opus in disciplina religionis. Spinoza fundamenta Religionis subruerat, levius quidquam haud moliens, quam ut cultum aeterni numinis eis superstructum disjiceret. Machiavellus corrumpit Politicam, & ad convellendum praecepta sanioris Morum doctrinae adgressus est. Illius errores iis solum rebus, quae sub contem-





## PROOEMIUM

templationem cadunt, continebantur: hujus errores ad actionem vitae pertinebant. Atqui Theologos novimus bellicum cecinisse, & ad arma contra Spinozam conclamasse. Opus ejus ex instituto confutatum, divinitatisque ratio adversus impetus ejus stabilita est: cum Machiavellus lacesitus tantum fuerit a nonnullis auctoribus Morum philosophiam profesfis, locumque suum ingratis eorum, salvaque perniciofa sua Morum disciplina in Politicorum cathedris usque ad nostra tempora retinuerit.

Audeo patrocinium humanitatis contra portentum hoc ac paene funus ejus arripere: audeo rationem & justitiam captionibus sophisticis & improbitati opponere: nec veritus sum in Principe Machiavelli animadversiones meas sub singula capita subjicere, ut antidotum

## AUCTORIS.

tum quam proxime venenum exciperet.

Principem Machiavelli periculosissimis, quotquot post homines natos scripta & in lucem edita sunt, Operibus semper adnumeravi. Liber iste non potest non in manus Principum, aliorumque, quibus Politica ad palatum est, incidere. Quid proclivius est adolescenti gloriae & laudis avido, cui neque animus adeo confirmatus, nec tam intelligens est judicium, ut bonum a malo caute internoscere possit, quam ut istis politicarum artium consiliis, quae cupiditatibus suis lenocinantur, corrumpatur?

Quodsi vero turpe est, hominis privati, leviter tantum rerum in orbe gerendarum momenta attingentis, puram atque integram mentem corruptelarum illecebris irretire: quanto turpius erit



## PROOEMIUM

Principes mala disciplina depravare, quos populos gubernare, Justitiae partes agere, ejusdemque exemplo civibus suis praelucere, bonitate, magnanimitate & misericordia vivam spirantemque supremi numinis imaginem praese ferre oportet?

Non fluminum terras instantium exundationes, non fulminum, urbes in fumum & cineres vertentium incendia, non pestilentiae regiones populantis venenata lues tam funestae sunt mortalibus, quam periculosa morum disciplina & effrenatae regum cupiditates. Coeli injuriae habent suos temporis decursus, quibusdam solum tractibus vastitatem inferunt, & damna haec quamquam ad dolorem acerba resarciri possunt: sed regum improbitas totis populis ad rerum difficilium perperessionem fatis longa & diuturna est.

Sicut

## AUCTORIS.

Sicut regibus bene faciendi potestas semper est eadem, dummodo voluntatem semper eandem habeant: ita quoque, si in animum induxerint, ad arbitrium & nutum suum malefacere possunt. At quam deplorata est populi conditio, cui ex perverso summae potestatis usu nihil non metuendum est, cum Princeps cogitationem habet aut bonorum populi ad avaritiam, aut libertatis ad pertinaciam, aut quietis ad inpotentiam, aut securitatis ad perfidiam, aut vitae ad crudelitates suas. Tragica haec imago est imperii, quod Princeps ad disciplinam Machiavelli formatus regeret.

Prooemium hoc finire non possum, quin verbo respondeam iis, qui ea potius, quae Principes faciunt, quam quae debebant facere, Machiavellum conscripsisse autumant. Multis hoc

\* 4

com-



## PROOEMIUM

commentum arrisit, quia satyricum quid redolet.

Ergo qui damnatoriam hanc serio de regibus sententiam tulerunt, in errorem procul dubio inducti sunt exemplis malorum quorundam Principum, quos Machiavelli seculum aluit, nec non vita nonnullorum à Machiavello allegatorum tyrannorum, qui propudiosa generis humani monstra fuerunt. Isti velim, Censores secum reputent, quam ineluctabiles vitiorum illecebrae solium regale obsideant, quibus perfringendis communis & vulgaris virtus minime sufficiat. Desinant itaque mirari, quod tantus Principum coetus atque numerus bonorum & malorum varietate distinctus sit. In serie Imperatorum Romanorum Neronem, Caligulam, Tiberios exhibente, Titorum, Trajanorum, Antoninorum, virtutum gloria aeternitati

## AUCTORIS.

nitati consecrata nomina, jucunda recordatione colimus.

Fidem vestram! quam inexpiabilis jam injuria est, ea quae membris quibusdam conveniunt, toti tribuere corpori?

Ceterum magni intererat in historiarum monumentis, ut bonorum tantummodo Principum nomina conservaremus, ceteros vero una cum lenitate sua, stupori paene simili, cum iniquitatibus & sceleribus suis inter mortuos jacere sineremus. Libri historiarum certe non parum imminuerentur, sed humanitatis virtuti magna fieret accessio; nempe decus victurae in annalium monumentis famae, nominisque sui per secula ad sempiternam posterorum memoriam propagandi perspecta gloria, soli merces proposita esset virtuti. Liber Machiavelli non porro Politicorum  
scho



PROOEM. AUCTOR.

ſcholas inficeret: repugnantes, quibus ipſe ſua ſemper deſtruit, ſententiae riderentur, hominesque perſuaſum haberent, veram regum Politicam, ſola juſtitia, prudentia & bonitate fundatam, omni ex parte praeferendam eſſe ruinoſo plenoque horroris Systemati, quod Machiavellus publico uſui offerre nullus erubuit.

SPE-

AUGUSTO, POTENTISSIMO, ET  
SAPIENTISSIMO

BORUSSORUM REGI,

FRIDERICO II.

HEROI INVICTO, MUSAGETAE  
STRENUO,

PATRIAEQUE SUAE PATRI OPTIMO  
MAXIMO,

HANC

ANTIMACHIAVELLI

VERSIONEM,

ET

SE SUAQUE OMNIA, EA, QVAE CIVEM  
ET CLIENTEM DECET, PIETATE

D. D. D.

JOHANNES FRIDERICUS BEHRENDT,

INSTERBURGO-BORUSSUS.

†

Maxi-



*Maxime Rex, aevi decus & prudentia nostri,  
Qvo nil nobilius fingere vota queant.  
Qvi praeter recti leges a sanguine ductas  
Hausisti e docta pectoris arte decus.*

*Qui*

D E D I C A T I O.

*Qvi nil non animo complexus grande capaci  
Indolis aetheriae das documenta Tuae.  
Ac pulcris superans factis Tua grandia coepta,  
Qvod repetet coelum Te, prior ipse petis.  
Optime dux, doctae decus immortale, simulque  
Aegida quae quassat, gloria certa Deae.  
Cujus quisque suas spes acta bonus putat esse,  
Sive quid armatus, seu quid inermis agas.  
Cui prima est Superum regi placuisse voluptas,  
Proxima communi consuluisse bono.  
Et rata demissi coelo dare signa vigoris,  
Seu res consilio, seu sit agenda manu.  
Cujus ab ingenio, faustis penentralibus alto,  
Cum flueret venae nobilioris opus:  
Scribere Te solum juravimus usque decere  
Verba viro rerum digna potente legi.  
Cujus, vix capto regni moderamine, virtus  
Hoste bis edomito bina tropaea tulit.  
HEROS! sive equitum florentes aere catervas  
Seu peditum nimbos, robora Martis, habes:*

† 2

*Huc*



DEDICATIO.

*Huc ades, & posita paulisper casside & hasta,*

*Si quid ab hoste vacas, ad Tua sacra redi.*

*Ad Te Wagriacis a vastae Beltidos oris*

*Qvo licet, accedit Musa Borussa pede.*

*Ac Tua scripta refert verbis vestita Latinis,*

*Ut vultus cari sub genitoris eant,*

*Suscipe mutato cultu venientia, & illo*

*Respice legitimum, qvo decet, ore patrem.*

*Quae prodesse solet novitatis gratia multis,*

*Profit, Magne Parens, visceribusque Tuis.*

*Fortia saepe (scio) Tecum Tua facta revolvis,*

*Et capis hinc meriti praemia laeta Tui,*

*Jam fortis campos repetis lugubre rubentes,*

*Jam segetem ferri, mille viasque necis.*

*Jam pugnas contra ferrum positumque locorum,*

*Jam superata alacri moenia celsa gradu.*

*Jam nodos equitum, jam foeta tonitribus aera,*

*Jam densa plures grandine & imbre pilas.*

*Jam captas aquilas, passim jam fixa tropaea,*

*Jam placido sanctum foedere pacis opus.*

*Haud*

DEDICATIO.

*Haud tamen haec inter prorsus monumenta jacere,*

*Te tanto quomdam nata parente, fines.*

*Hanc juvet, hanc dextram victricem mille laborum*

*Admovisse libro, Rex venerande, Tuo.*

*Non semper paeana vocat, non semper in hoste  
Calcato victor lumina miles habet.*

*Neglecta tandem lauro, spretisque triumphis,  
Obliti repetit commoda blanda laris.*

*Victorem genitor vincit, cantumque tubarum  
Vagitus, patria gratior aure sonus.*

*Pondera curarum, felicitis pignora lecti,*

*Quae gladios gessit scutaque, dextra gerit.*

*Haud aliter quoque Tu, rerum doctissime Princeps,*

*Ingenii repetes pignora laeta Tui.*

*Pignora pulcra, suo numquam inficianda parenti,*

*In quibus invita morte superstes eris.*

*Nam*



DEDICATIO.

Nam pretium constans illis & secula cana  
 Despondet meriti gratia multa sui.  
 Sive aulas formant? aulis nil sanctius exit.  
 Sive urbis mores? urbs bene culta nitet.  
 Jura forumque regunt? remeat Themis aurea  
 coelo,  
 Tempa adeunt? tollit Religio alma caput.  
 Pacis agunt partes? Pacis fit firmitior usus.  
 Martis opus tractant? Martia castra decent.  
 Pindum conscendunt? Pindi se gloria tollit,  
 Tentatam sistit Musa diserta fugam.  
 Mercurii tangunt aedem? merx plurima ponto,  
 Plurima per siccas itque reditque vias.  
 Artifices spectant? opifex sua regna Minerva  
 Pandit & ingeniis subgerit artis opes.  
 Rura petunt? messes Cereris ceu numine tactae  
 Effundunt largo dona beata sinu.  
 Denique, quidquid agunt, quoquo vestigia fle-  
 unt,  
 Subsequitur pleno Gratia blanda gradu.

Exci-

DEDICATIO.

Excitat in primis sensus & recreat aures  
 Teutonico florens Gallus in ore lepos:  
 Cui Veneres ipsae (faveat bona lingua loquuto!)  
 Italides cedunt Atthides omne decus.  
 Ad tot delicias animi regaliter alti  
 Teutone cum solo Gallus habebat iter.  
 Indoluit, tacitoque animum confessa rubore est  
 Romula, purpureo splendida Lingua sinu.  
 Injecitque manum scripto, coepitque politi  
 Ardes Roloffi sollicitare sui,  
 I, meus, inquit amor, mea magna potentia, felix,  
 Quo Te facundum gloria nostra vocat.  
 Noster honos agitur, nostro bene consule honori,  
 Profit qua polles, lactea Svada mihi.  
 Regius ille liber, quo nil me dignius exstat,  
 Fac culte nostro fusus ab ore fluat.  
 Admuerat juvenis, Latiae laus clara loquelae,  
 Excultae promptus suscipit artis opus.  
 Invida sed torquens subito fera lumina Clotho  
 Speratae mutat pulvere messis opes.

In-




D E D I C A T I O.

*Intercepto operi novus est successor habendus,  
Desertas partes nostra Camena capit,  
Nixa favore Tuo parvae, REX, grandia navi  
Vela dat, & fausto sidere tentat iter.  
Qva vada dura vetant, cursus obliquat in altum,  
Qva licet ac sequitur, litora tuta legit.  
Nunc cum fessa ratis cupiat consistere terra,  
Qvi fueras aurae, REX quoque portus eris.*



SPECIMEN DISQUISITIONUM  
A D  
P R I N C I P E M  
M A C H I A V E L L I.

C A P. I.

(1)  Ntequam diversas (2) rerum gubernandarum formas percenseret Machiavellus, debuisset, mea sententia, in originem (3) earum inquirere & discutere rationes, quibus liberi homines inducti Principes sibi constituerint.

Forte

(1) De sententia aliqua recte atque ordine disputaturus penitus ipsam rationem atque naturam rei, quae quasi materia, quam tractet & in qua versetur, disquisitioni subjecta est, perscrutabitur, inde a fonte atque capite singula ordietur, ut prima, quantum fieri potest, principia eruantur. Tum vero facillimo negotio progressionem, & quae hinc colligi possunt, consectaria derivantur.

(2) Imperiorum.  
(3) Principum.

A



Forte in librum, quo improbitatis & tyrannidis disciplinam tradere animus fuit, minime convenire visum est (4) *ea in lucem proferre*, quibus utraque destrui debebat. Malam iniisset Machiavellus gratiam dicendo: populis usu venisse, quod quies & salus sua constare non possit sine Judicibus, qui controversias suas componerent: sine Propugnatoribus, qui se contra hostes suos in possessione bonorum suorum conservarent: sine Principibus, qui privatas cujusque commodi rationes ad unicum commune bonum converterent; Quodque ab initio, quos sapientissimos omnium, aequissimos, suae utilitatis minime cupidos, humanissimos, vigilantissimeque se gubernaturos, existimaverint, ex corpore suo delegerint.

In iustitia igitur (5) administranda maxima Principis cura versatur, commoda ergo, quibus praest, populorum, omnibus aliis utilitatum rationibus praefert. (6) Rex tantum abest, ut pleni arbitrii dominus sit populorum ditioni suae subditorum, ut primi tantum (7) *magistratus* locum tueatur.

(8) Dicta regum origo facinus hominum, imperia flagitio quaesita usurpantium, majoris coarquit atrocitatis, quam si simpliciter violentia imperiorum

(4) mentionem facere eorum,

(5) dici poterat,

(6) Quorum jam recidunt cogitationes istae privati commodi, potentiae, elati animi, despoticae potestatis?

(7) inter domesticos

(8) Cum mihi propositum sit principia ista perniciose sigillatim refutare, integrum mihi erit de illis verba facere, ut quaeque cujusvis Capituli materia mihi occasionem subministraverit.

Nunc in genere dicendum, quod

forum consideretur. (9) *Pedibus proterunt primam hanc legem, quae mortales sub uno imperio conglutinat, ut hujus praesidio sarti tecti sint, & adversus studia eorum, qui aliena imperia summam per injuriam acquisita usurpant, Lex haec stabilita est.*

Tres tantummodo viae sunt legitimae, quibus pes in possessionem regionis alicujus poni potest, aut successio, aut electio facta a populis, quibus haec potestas constat, aut occupatis aliquot provinciarum, lege belli justis de causis suscepti hostibus ereptarum. (10) *Habes, Lector, cardinem, in quo animadversiones meae medio in cursu sequentium disceptationum mearum se versaturae sunt.*

(9) Prorsus enim a propositis populorum rationibus discedunt, quippe qui Magistratus sibi constituerunt, ut ab eis protegantur, nec alia conditione praeterquam hac se subjecerunt. Cum vero ei, qui per vim vel scelus alienum invasit regnum, parent, explendae avaritiae & libidini imperiosae Tyranni se & omnes facultates suas consecrant. Quare

(10) Illos vero, in quorum gratiam hoc opus conscripti, rogatos velim, ut ne obliviscantur harum ad primum Caput adjectarum observationum: sunt enim mihi cardinis loco, in quo sequentes animadversiones meae se versabunt.

## C A P. II.

Singularem in genere humano venerationem habet quicquid antiquum est, usque ad superstitionem, & quando jus hereditatis accedit ad imperium, quod temporum vetustas in homines tenet, jugo hoc nihil validius, nihil latu facilius est. Absit itaque a me, ut ea in re Machiavello litem moveam, in qua singulos & universos sibi consentientes habebit, nempe quod hereditaria gubernatu



tu facillima sint regna. Hoc unum addo, Principes, quibus haereditaria obveniunt imperia, in possessionibus suis confirmatos esse arctissimis inter & potentissimas in regno familias vinculis. Praeque illarum vel bonorum vel potentiae & auctoritatis suae nomine domui regiae sunt obstrictae: res illarum tam implicata est cum fortuna Principis sui, ut si eam inclinatum labare siverint, certam in semetipsos ruinam necessario hinc consecuturam esse experturi sint.

Nostri aetate firmis copiarum praesidiis & validis, quos Principes tam pace quam bello in armis habent, exercitiis haud parum securitas regnorum accepta referenda est. Coercent enim impotentes vicinorum Principum Spiritus: gladii hi sunt stricti, qui aliorum enses vaginis continent.

At nondum satis est Principem, quae Machiavelli sunt verba, *vulgaris industriae esse*: desidero etiam ut de populo suo beando sollicitus sit. Gens forte sua contenta nulla defectionis consilia agitat: populus felix magis iacturam ejus, qui simul Princeps simul beneficus in se est, metuit quam ipse ille rex imminutionem umquam roboris, & virum suarum timere possit. Inter Batavos numquam seditio orta fuisset adversus Hispanos, nisi horum tyrannis tam enormiter omnem excessisset modum, ut inferior (1) Belgas conditio manere potuisset nulla.

Regna illa, Neapolitanum & Siculum saepe numero ex manibus Hispanorum in manus Imperatoris, & ab hoc rursus ad Hispanos pervenerunt. Bello

(1) Praesenti

Bello facillime semper occupari poterant, quia alterutrum imperium durum & asperum (2) sibi videbatur, spesque gentes has obtentabat, cum novis dominis liberatores se nacturas esse.

Quantum dissimiles sunt hi Neapolitani Lotharingorum! qui dominium novum subire coacti tota regione illacrymabant. Aegre ferebant amissionem propaginis horum ducum, qui a tot retro seculis in possessione regionis hujus (3) fuerant, & in quorum serie aliqui sua virtute tam spectabiles numerabantur, ut regibus exemplo proponi mererentur. Memoria Ducis Leopoldi tam chara adhuc fuit Lotharingis, ut cum vidua ejus Lunae Villa decedere juberetur, omnis populus supplex ante currum procubuerit, equique iteratis vicibus retenti fuerint. Nihil audiebatur, nisi ejulatus, nihil nisi lacrymae cernebantur.

(2) valde fuit

(3) florentissimi

### C A P. III.

Decimum quintum, quo Machiavellus vixit, seculum adhuc infectum erat barbarie. Hoc mirum est illud, quod funestae regna invadentium gloriae & horribilibus facinoribus, quae magnitudine sua speciem quandam conciliabant, mansuetudinem, aequitatem, clementiam, omnesque virtutes postponebant. Hodie videmus, humanitatem praeferrere omnibus imperia rapientium ac praedantium studiis, nec fere locum invenire insaniam illorum, qui crudeles animi motus, terrarum orbi convasationem inferentes laudibus incitent.



Quaero, quidnam homini in mentem venire queat, quamobrem magna sequatur? Virtusne, qua se potentiam suam supra miseriam & stragem aliorum elevaturum speret? Qui autem certus esse potest magnificentiae, cum neminem nisi ad calamitatem dejiciat? Novæ, quas Rex aliquis occupat regiones, illas, quas antea jam possederat, locupletiores (1) non reddunt: populus suus nihil inde quaestus compendique facit: ipse sibi imponit & majorem felicitatem vanâ spe praecipit. Quot principes ducum suorum opera in ditionem suam redegerunt provincias, quas ipsi nunquam vident. Istae adeo ad regnum accessiones aliquo modo imaginariae sunt (2): interim vera haec est via tot populorum infortunio expiandi furias unius hominis, indigni saepe, qui ullius in notitiam perveniat.

At fingamus, praedonem talem universum terrarum orbem sibi subjicere: num aequè gubernando ac subjiciendo illi par fuerit. Quantuscumque sit Princeps, nunquam infinitus erit: vix nomina provinciarum suarum tenebit & magnitudine suâ tanto evidentius, quam exiguus ipse sit, declarabit.

Non amplitudo regionis, cui praest, gloriam Principi parit: nec spatiosiores terrarum tractus ei splendorem illustrem conciliabunt: secus divites multorum jugerum omnium maximi aestimandi essent.

Error Machiavelli de gloria eorum, qui provincias compilant, communis forte suorum fuit tem-

(1) aut ditiores

(2) & parum solidi fructus dant Principibus, quorum auspiciis occupatae sunt.

temporum: scelerata certe ejus indoles non item. Nihil horribilius est consiliis nonnullis, quibus bello partas regiones conservandas esse, docet. Quae si diligenter examinaverimus, nullum eorum vel rationi rectae vel justitiae consentaneum videbitur. *Exstirpanda est, inquit, (3) propago eorum, qui ante imperium tenuerunt, quam gentem ditioni tuae adjeceris.* Haec & similia praecepta quisquamne legat, quin (4) horrore percellatur? id vero est pedibus calcare omne, quod sacrosanctum est in terrarum orbe: id est, commodi studio viam pandere omni criminum generi. Age, si impotentis animi homo violenter ad se rapuerit terras Principis alicujus, huicne jus erit oppressum contrucidandi aut veneno necandi? Sed iste ipse oppressor hujus facinoris exemplo homines arte imbuit, quae non potest non suo ipsius capiti exitiosa esse. Alter enim & adhuc ferocior se potentiorque, vicem illius ulciscetur, hujus vero regiones invadet, eundemque simili crudelitate, qua olim in decessorem suum saevierat, occidet. Quo in genere seculum Machiavelli exempla nimio plus suppeditat. Nonne occurrit Alexander VI, Pontifex, ob crimina amissioni dignitatis suae vicinus? Nonne nothus ejus detestabilis, Caesar Borgia, omnibus illis, quae praedatus fuerat, exutus miseraque morte consumtus? Nonne Galeatius Sforzia, in medio templi Mediolanensis interfectus? Nonne Ludovicus Sforzia alienae potestatis praedo, qui vitam in Gallis finivit, cavea ferrea inclusus? Nonne Principes Yorcae & Lancastri,

(3) inquit os inpurum,

(4) indignetur &



castris, qui invicem se praecipitarunt? Nonne Imperatores Graeciae, quorum alter ab altero usque trucidatus fuit, dum Turcae scelera horum suam occasionem rati, infirmata horum praesidia exterminarunt. Quod hodie motus & imperiorum conversiones rarius inter Christianos inveniuntur, id tribuendum est principiis sanioris morum doctrinae, quae latius propagari coeperunt: homines ad mitiorem cultum animos suos deduxerunt; nec jam, ut ante, feroces inveniuntur, &, ni fallor, acceptum hoc referendum est viris, doctrinae atque literis deditis, qui Europam expoliverunt.

Alterum sequitur consilium, quo Machiavellus novo rerum dominio potitis auctor est, ut suam imperii sedem in has recentes provincias, transferant. Id sane nihil crudelitatis, etiam aliqua ratione satis commodum habet. Considerandum tamen, plerasque magnorum Principum provincias ita sitas esse, ut non adeo commode, nec sine magno universi imperii detrimento, possint hoc centro carere. Ipsi enim in hoc corpore prima vitae & motionis sunt principia, adeoque de centro sine misera exteriorum partium debilitate decedere nequeunt.

Tertium axioma Politicum colonias mittere jubet ad firmandas praesidiis nuper subjectas regiones, ut tanto certius istae in fide maneat.

Auctor nititur usu & exemplo Romanorum, sed non attendit, eos, nisi praeter colonias etiam legiones deduxissent, facile amisuros fuisse provincias suas: nec id expendit, quod praeter colonias & legiones, foedere atque amicitiam gentes sibi jungere didicerint. Romani, florente republica callidissimi erant omnium grassatorum, qui unquam

quam terrarum orbem vastarunt. Injuste acqvisita sapientibus institutis conservarunt: ad extremum autem, quod omnibus terrarum praedatoribus, id huic quoque populo usu venit, nempe vicissim oppressi sunt.

Dispiciamus jam, num coloniae, quarum stabilendarum gratia Machiavellus tantae injustitiae licentiam largitur Principi suo, eum quoque quem venditat, utilitatis fructum praebeant? In partes bello nuper occupatas aut validas transferes colonias, aut tenuiores. Si potentiores sunt coloniae, exinanies insigniter terras tuas, (5), id quod vires nervosque tuos imminuet. Si exiguas deduxeris illuc, aegre tibi de possessione illorum praestabunt: sic, quos ex possessionibus suis exturbasti, infortunio mactaveris, nec ipse multum emolumenti inde feceris.

Rectius igitur rationibus suis prospiciunt, qui copias immittunt subjugatae regioni, quae disciplina & iusto ordine rerum servato, nec conculcare populos, nec urbibus, in quorum praesidiis collocantur, molestae esse poterunt. Haec ratio politica praestat: sed tempore Machiaveli non potuit non incognita esse. Reges non aluerunt magnos exercitus, copiae (6) maximam partem constabant colluvie grassatorum, qui omni fere cursu vitae assueti erant violentiae & rapinis. Ignorabilis itaque fuit pacis tempore continua copiarum sub signis collectio: annona & domicilia publica militum & mille alia instituta, quae pacis tempore securum praestant rerum statum tum contra vicinos,

(5) & magno numero novae ditionis tuae incolas expellis  
(6) istae



nos, tum contra milites ad se tuendum mercede conductos.

Principis est, allicere ad se & protegere minores in confiniis suis Principes, & discordiae femina inter hos spargere, ut, quos lubet, tollat vel deprimat. Consilium hoc quarto loco proponit Machiavellus, eodemque usus est Clodovaeus (7), exstiteruntque imitatores ejus quidam Principum aequae crudelium. Quanto autem intervallo hosce tyrannos superat vir bonus, qui arbiter minorum ejusmodi Principum constitutus amice controversias illorum finiverit, & plenis documentis animum, nec quod adlites pertinet, partium studiosum: nec, quod ad se spectat, utilitatis suae cupidum demonstraverit, utque fiduciam in se collocatam habeant, probitate sua effecerit. Prudentia sua non oppressorem, sed patrem suis se vicinis probaret: potentia vero non expulsorem sed defenforem.

De cetero verissimum est, Principes, qui violento impetu alios elevare conati sunt, semetipsos praecipites dedisse: seculum, quod agimus, hujus rei exempla suppeditavit (8).

Ex his igitur colligo, iniquos alieni imperii obfessores nullam unquam promereri gloriam: truculentas caedes, semper hominum generi horribiles fore, Principes, qui iniquos & violentos nuper sibi subjectis populis se exhibent, adjungendos sibi omnium animos a se abalienaturos esse, nec fieri posse, ut scelus excusatione tegatur: omnem

(7) primus Barbarorum regum sacra Christianorum amplexus

(8) alterum est Caroli XII mi, qui Stanislaum solio regali Polonorum imposuit, alterum recentius est.

que causam pro hoc dicturos non fanius, quam Machiavellum disputaturos esse. Intendere artem ratiocinandi adversus commoda generis humani, nihil est aliud, quam gladio ad defensionem nostram concessio nosmet jugulare.

## CAP. IV.

De genio & indole nationum dextre sententiam laturis, altera cum altera contendenda erit. Hoc capite Machiavellus inter se comparat Turcas & Gallos, vitae consuetudine, moribus atque opinionibus dissimillimos. Exquirat rationes, quae occupationem imperii primo loco dicti, factu difficilem; sed conservatu facilem reddunt; ibidem quoque notat, quae faciant ad Gallias nullo negotio subjugandas, quaeque has perpetuis tumultibus obruendo ipsius possessoris quietem continue laessunt.

Auctor obtutu haeret in una tantum rerum facie, nec aliud quidquam imperiorum constitutionem attendit. Videtur in ea sententia esse, quod potentia rerum Turcicarum & Persicarum fundata (1) sit in servitute nationibus his communi, & in sola unius hominis, qui caput ac princeps sit, elatione. Inducit quippe in animum suum, Despoticum imperium nulla lege restrictum; sed bene constitutum tutissimam Principi sine turbis regnandi & hostibus suis (2) resistendi viam propositam esse.

Tempore Machiavelli Magnates & Nobiles Gallicarum

(1) fuerit  
(2) strenue



liarum habebantur quasi Reguli, qui aliqua ratione consortes potestatis regiae essent: ea res ansam dedit ad discessionem: factiones corroborabat, & crebras seditiones fovebat. Interim fallor aut Turcarum imperatori majus dejectionis de solio periculum, quam Regi Galliarum imminet. Hoc tantum differunt, quod Imperator Turcarum plerumque a Janitzaris laqueo suffocatus: Galliarum autem Reges, quotquot perierunt, (3) *ab nebulo-nibus nefaria religione lymphatis* è medio sublati fuerint. At Machiavellus capite hoc potius de communibus rerum conversionibus quam de singularibus casibus agit. Divinatione quadam (ut verum fatear) tetigit nonnullos nervos machinae quam maxime compositae: sed meo iudicio praecipuos illorum non tetigisse videtur.

Differentia climatum, alimentorum & educationis hominum infert prorsus diversam vivendi & cogitandi rationem. Ex quo facile intelligitur (4), *monachum Italum alius prope generis esse ac doctum inter Sineses virum.* Anglus, recondita doctrina, sed hypochondriis obstructis & obduratis, temperatione naturae differt ab animoso tumore Hispani: & Gallo atque Hollando tam parum convenit, quam vividi ingenii simio cum testudine torpida.

Observatum est post hominum memoriam, populos Orientales ingenio esse morum tenacissimo (5): *Vetusta illorum instituta* & religio ab Euro-

(3) a Monachis vel monstris a Monachis subornatis  
(4) differentia inter Monachum Italum & doctum inter Sineses virum

(5) quod attinet ad agendi rationes & vetusta instituta sua, a quibus numquam fere discedunt. Ipsorum

ropaeorum caerimoniis diversa quodam modo etiam eos obstringunt, ut ne faveant eorum, quos *Profanos* \* vocant, molitionibus in detrimentum Principum suorum: utque summa cura devitent singula, quae vel labefactare religiones suas, vel imperii formam convertere possint. Intelligimus hinc, quid apud illos magis solium, quam Imperatorem tutum praestet. Imperator enim saepe solio deturbatus, Imperium autem nunquam convulsus fuit.

Indoli nationis Gallicae, e diametro contrariae ingenii Musulmannorum, aut ex toto aut saltem aliqua ex parte adscribendae sunt crebrae regni hujus conversiones. Volaticus impetus & inconstantia gentem hanc alioqui amabilem tanquam caractere insignivit. Galli sunt inquieti, libertatis usque ad licentiam amantes, & ad taedia omnium rerum procliviores. Animus illorum rerum novarum cupidus etiam in rebus altioris momenti se protulit. Veri simillimum est, Cardinales illos, quos Gallica gens vel odio habuit, vel maximi fecit, quique continuata serie gubernacula hujus imperii tractarunt, consilia Machiaveli de magnatibus suppressendis, ut & cognitionem de ingenio nationis hujus in rem suam convertisse, ut amolirentur crebros tumultus, quos lubrica nationis hujus indoles continue regibus minabatur.

Rationes & consilia Cardinalis Richelii huc tantummodo collineabant, ut depressis magnatibus potentia Regis elevaretur, & ut his velut fundamentis omnes imperii partes superstruerentur. Tam prospere res ipsi successit, ut in Galliis hodie ne vestigium supersit auctoritatis illius dyna-

\* les Infideles.



starum, Nobiliumque, & potestatis illius, qua nonnunquam (6) Magnates abusi fuerunt.

Iisdem Richelii tramitibus processit Cardinalis Maximus. Multos, qui sibi obniterentur, invenit, sed destinata tamen exsecutus est. Praeter haec quoque supremae curiae Patres praerogativis suis exiit, sic ut Collegium istud hodie nil nisi inane simulacrum sit, quod se nonnunquam ad huc opinionis errore fingit corpus habere, cujus autem erroris poenas plerumque luere cogitur.

Eaedem consilii rationes, quibus regii consilii administri inducebantur ad dominatum lege omnifolutum in Gallia constituendum, eadem, inquam, docuerunt eos quoque viam, qua levitatem & inconstantiam gentis ejus alia occupatione distingerent, ut sic ab illa minus periculi & detrimenti metuendum esset. (7) Res parvi momenti & deliciae quaedam immutata Gallorum ingenia ad se avocarunt: sic ut hi ipsi populi, qui tamdiu contra Caesarem, magnum illud nomen, vi & armis decertaverant, qui sub Imperatoribus tam saepe jugum excusserant, qui Valesiorum aetate ab exteris auxilium & opem rebus suis petierant, qui (8) sub Henrico IV. factionis sacramento se obligaverant, qui Rege pubertatis annos nondum egresso conspirabant: isti, inquam, Galli nullis aliis rebus nostra aetate occupati tenentur, nisi ut torrente elegantioris cultus abripiantur, nunc palatum saporum varietate solerte afficiendo, jam spernendo hodierna luce, quae hesternam admirantur, in summa exfaturando inconstantiam suam &

(6) ut quidem reges adfirmabant

(7) mille occupationes frivolas

(8) contra Henricum IV.

& levitatem in sui arbitrii rebus, amicas denique, loca, & otia ad vitam jucunde agendam conducentia (9) variando. At ista non omne ferunt punctum: nam validi exercitus & magno numero propugnacula perennem regni hujus possessionem regibus suis praestant: hodiernoque rerum statu nihil est, cur vel intestina bella, vel vicinorum molitiones metuant.

(9) ineptiaque.

### C A P. V.

Non alia certior, si Machiavellum audias, ratio est liberam rempublicam vi & armis captam in fide retinendi, quam si eam deleas. Hac enim quasi tutissima via metum & periculum turbarum praecaveri posse. Aliquot abhinc annis Anglus quidam Londini eo dementiae processerat, ut mortem sibi conscisceret. Super mensa reperiebatur scheda, in qua facinus suum excusaturus ideo vitam sibi se eripuisse docuerat, ne unquam in morbos aegrotationesque incideret. Idem evenit Principi, qui provinciam, ne amittat, evertit. Nihil dicam de humanitate: id enim Machiavelli sententia esset virtutis laudem contaminare. At Machiavellus Machiavello potest confutari, commodi nempe & utilitatis ratione, quae est anima liberi sui, Numen illud politices & scelerum.

Ais, Machiavelle, regionem, quae suis legibus vixerat, si nuper in potestatem Principis venerit, ab hoc diruendam esse, ut tanto tutius eam possideat. At quaero ex te, ad quem finem hanc provinciam occupaverit? Dices, ut augeat vires suas, & se terribiliorem aliis reddat. Id vero ex te  
audire



audire cupiebam, ad coarguendum te probandumque, quod Princeps consilia tua secuturus contra omnino facturus sit, quam ipse modo dixeras. Magno enim ei constat haec provincia, & proinde unicam illam regionem vastat, quae poterat damna sua compensare. Confiteberis enim mecum, fieri non posse, ut direptae & incolis exhaustae regionis possessione Principis potentia accrescat. Equidem, censeo, vix terribilem fore Regem, quantumvis vasta & deserta Libyae & Barcae loca possideat: decies centena millia pantherarum, leonum & crocodilorum minoris aestimanda esse, quam decies centena millia incolarum, urbes opulentas, portus navium patientes, navibusque refertos, cives industrios, copias militares, & omnia quae terra incolis frequens (1) *subministrat*. Omnium consensione constat, vires imperii cujusque non finium amplitudine, sed incolarum copia contineri.

Compara Ruffiam cum Belgio foederato: praeter insulas palustres & steriles quae ex sinu Oceani se attolunt, nihil hic adparebit: rempublicam vides perparvis finibus circumscriptam, cujus longitudo octo & quadraginta, latitudo quadraginta tantummodo miliaribus absolvitur: Sed quantum est hoc corpusculum, nihil nisi nervus est. Infinitus populus illud incolit, gensque haec laboriosa opibus & potentia floret. Excussit jugum Hispanici dominatus, qui inter maxima orbis imperia praecipuo in Europa terrori erat. Commercium hujus reipublicae usque ad extremas terrarum partes extendantur: splendor ejus proxime accedit ad regium principatum: belli tempestate exercitum

(1) profertur

aitum quinquaginta mille armatorum educere potest, nondum considerata classe, & copiosa & bene instructa.

Conjice nunc altera ex parte oculos in Ruffiam, in conspectum se dabit immensa regio, universitas quaedam, sed mundo, cum ex Chao emerfus esset, similior. Regio haec ab una parte terminos agnoscit majorem Tartariam & Indos: altera ex parte mare nigrum & Hungariam: frontibus suis procurrit in Poloniam, Lithuaniam & Curoniam: in Occidentis & Septentrionis confiniis Sueciae finitur. Russia trecenta miliaria Germanica in latitudinem, sed ultra (2) *sexcenta* regione directa patere videtur. Terra est frugum ferax, & omnia quae ad cultum victumque humanum requiruntur, largitur: in primis vero illae partes, quae circa Moscoviam sunt & Tartariam minorem spectant. Omnibus licet his facultatibus & commodis gaudeat, ad summum quinquagies tantum centena millia incolarum continet.

Populus iste, qui hodie caput in Europa efferre coepit, pedestribus pariter ac maritimis copiis Belgium foederatum vix antecellit: divitiis vero & reditum ubertate etiam longe inferior est.

Robur imperii nec terrarum spatiis, nec vastae solitudinis, locorumque per immensos tractus desertorum possessione, sed incolarum divitiis & frequentia aestimandum est. Quamobrem Principis interest, regionem incolis frequentare, florentemque reddere, minime autem devastare & destruere. Quemadmodum scelerata foeditas Machiavelli horrorem: sic argumentatio ejus misera-

(2) quingenta



rationem quendam excitat : si ante didicisset potius recte ratiocinari , quam politice suam monstrofam docere instituisse , melius cum illo actum esset.

Principis est , sedem suam in republica nuper ditioni suae adjecta figere. Tertium hoc est Machiavelli axioma. Mitius hoc est prae ceteris. At capite tertio docui , quae hoc in genere difficultates obfatae qveant.

Princeps , ut mihi quidem videtur , Republica quadam potitus , posteaquam justis de causis bellum illi intulerit , poenis de ea sumtis acquiescere , ceterum libertatem illi reddere potest. Pauci mortalium ita animati fuerint. Quotquot aliter sentiunt , possessionem ejus sibi servaverint , firmis praesidiis in nuper subactae provinciae partibus collocatis , plenaque libertatis jucunditate populo relicta.

Eho ! vecordes nos , quos coeca rerum omnium conquirendarum cupiditas rapit : quasi rerum omnium possessioni tempora nostra sufficiant : quasi nulli fines spatium vitae nostrae terminent ! Tempus aetatis nostrae subito avolat , & saepius nostrum nosmet commodo laborasse rati , successorum aut indignorum aut ingratorum gratia operosi fuisse invenimur.

## C A P. VI.

Quodsi homines animi commotionibus vacui essent , Machiavello eas mortalibus largituro ignoscere posset , alter enim existeret Prometheus , ignem aetherium ad animandum corpora automata suffuratus. Verum aliter res se habet (1) , nemo ho-

(1) profecto

mo liber est a perturbationibus animi ; quae si moderatae sint , societatis anima : sin laxiores habeant habenas , ejusdem pestis sunt. Omnibus ex affectionibus , tyrannida in mentem nostram exercentibus , nulla his , qui impulsionem ejus sentiunt , vel funestior , vel ab humanitate alienior , vel quieti totius terrarum orbis exitiosior est , quam intemperata superbia , & immoderatum falsae gloriae studium.

Homo privatus , qui irato Genio ejusmodi habitudine laborat , non adeo stultus quam potius miser est. Nullo rerum praesentium sensu afficitur , in temporibus venturis totus est ; nihil non in rerum universitate ei displicet : factus cum voluptatum dulcedine suam commiscet amaritudinem.

Princeps superbus etiam privato homine inferior est. Vanitas enim ejus , potentiae tantae par & respondens , latius adhuc vagatur , minusque sanari vel exfariari potest. Superbiae privati hominis alimenta praebent honores & dignitatis amplitudo. Summorum Principum factum provinciae & regna nutriunt. Quemadmodum autem munera & honores minori obtinentur negotio , quam regna acquiruntur : ita privatae conditionis homines sibi citius , quam Principes satisfacere possunt.

Machiavellus eis proponit exempla Moysis , Cyri , Romuli , Thesei & Hieronis. Facillime index hic augeri posset quibusdam Sectarum conditoribus , quales sunt Mahometus in Asia , Mango Kapac in America , Odinus in plaga septemtrionali , totque alii in orbe terrarum auctores sectarum (2).

Sub-

(2) Patribus Societatis Jesu in Paragai liceat mihi , pag. B 2



Sublesta fides, qua exempla ista adducit auctor, digna est, quae palam exponatur (3): Machiavellus splendidam solum, si quae est, ambitionis faciem exponit, nec alios ex potentiae cupidis hominibus adfert, quam qui secunda usi sunt fortuna: istos vero, qui suis se furis victimas praebuerunt, alto praeterit silentio. Id vero est egregie imponere hominibus, & Machiavellum hoc in capite partes circumforanei scelerum laudatoris agere, nemo diffitebitur.

Legislatorem Judaeorum, primum Atheniensium regem, Medorum oppressorem, Romae conditorem, quorum exitus propositis consiliis respondebant, cum enumerat: cur non subjungit exempla eorum, qui sinistris auspiciis duces & auctores se praebuerunt, ut sic inpotens spiritus, qui hos vel illos voti compotes reddit, multo plures perdidisse coarguatur. Nonne existit Johannes Leidensis, Anabaptistarum caput, sed candenti forcipe laniatus, igne extinctus, & Monasterii ferrea in cavea patibulo suffixus? Cromwello res bene successit: at filius ejus nonne a regni gubernaculis dejectus fuit? nonne oculis suis cadaver parentis effossum ad furcas trahi conspexit. Judaei isti tres vel quatuor numero, qui Hierosolymis eversis Messiae nomen sibi arrogaverant, nonne supplicii (4) excruciatii perierunt? Nonne postremus ex illis, cum superstitioni Mahometanae

ce sua, hic quoque locum quemdam offerre, qui non potest non illis gloriosus esse, cum in numero Legislatorum habeantur.

(3) E re fuerit, calliditates & omnes technas in posteris hujus aperire.

(4) ultimis

tanae nomen dedisset, servili in culina Turcici Imperatoris munere functus, vitam finivit? Pipinus regem suum solio deturbavit, Pontifice Romano id adprobante. Guisius, cui a cicatrice cognomentum haesit, cum regem suum ejusdem approbationis fiducia dejicere sustineret, nonne trucidatus fuit? Nonne triginta & plures haeresium auctores, nonne plus quam mille alii inpotentis animi homines recenseri possunt, qui violenta morte perierunt?

Ceterum existimo, Machiavellum satis inconsiderate juxta Moysen collocare Romulum, Cyrum & Theseum (5) *Moyse* divino instinctu & afflatu concitus fuit, quo si vacuus fuisset, non alio praeterquam impostoris loco haberi poterat, qui Deum prae se tulerit, propemodum ut Tragici, quoties exitu turbarum opus erat, Deos tamquam e machina inducebant.

Moyse, si consideretur velut unicum divinae providentiae instrumentum, sicut & revera fuit: ceteris cum legislatoribus nihil commune habuit: quippe qui solius humanae compotes & participes fuerunt sapientiae (6). *Quodsi vero Moyse,*  
utpote

(5) Moyse aut concitus fuit divino afflatu & instinctu, aut non. Si non fuit, (quod quidem longissime abest, ut statuamus)

(6) Caeterum Moyse rerum agendarum tam imperitus fuit (si humano rem judicio aestimes), ut populum Judaicum per quadraginta annos eo in itinere duxerit, quod commodissime quadraginta & duo dierum spatium confici poterat. Parum, hercle, ex ingenio lumine Aegyptiorum hausit, & hac in parte Romulo, Theseo, & heroibus illis inferior fuit. Sin Moyse divino spiritu agitatus fuit, sicut haud dubie patet, caecum tantum divinae, quae omnia pollet, virtutis organum haberi poterit: & Dux Judaeorum, ut homo



utpote nudi hominis, rationem habeas, nulla re cum Cyro aliquo, Theseo vel Hercule comparandus est. Populum suum per desertam solummodo duxit, non extruxit urbem, non fundavit magnum imperium, non instituit commercia, non curavit, ut artes enascerentur, non beatam & florentem reddidit gentem suam: (7) divinam in illo providentiam adorare, ceterorum prudentiam ad examen revocare par est.

Generatim nec ante occupato profiteor animo, multum ingenii, fortitudinis, solertiae (8) ab illo requiri, qui (9) Theseis, Cyris, Romulis, Mahometis par & aequalis esse cupit: sed nescio an epitheton virtute praediti illis conveniat. Robur & agendi dexteritas pariter in viarum publicarum praedonibus atque in Heroibus invenitur: hoc solo discrimine, quod qui aliena meditatur & invadit imperia, grassator illustris, (10) alter vero obscurior sit latro. Ille laureas & thuris honores, velut praemia violentarum incursionum, refert: hic vero laqueum.

(11) Quisquis sibi aequales subigere parat, sanguinarius

consideratus, longe inferior fuit fundatore Romani Imperii, Rege Persarum, & aliis Heroibus, qui propria virtute propriisque viribus majora ediderunt potentiae documenta, quam alter ille proximo atque praesentissimo Dei numine adjutus.

(7) tantum abest, ut de multiplicatione populi sui cogitaverit, ut etiam tria millia ex eo manibus unius Tribus suae interficienda curaverit. (haec in duabus Edd. praefecta fuerant)

(8) & agendi dexteritatis

(9) viris proximi dictis

(10) latro communis obscurior sit nebulo

(11) Certum est homini novitates inter homines paraturo mille semper impedimenta objici & obstaré, pluresque Profelytos facturum esse Prophetam ante signa copiarum stantem, quam argumentis diglantem.

Cer-

narius semper & fraudulentus est. Principes & signiferi Fanaticorum in mortibus Gevennae, Spiritus Sancti afflatum jactantes, e vestigio quos Spiritus iste damnasset, trucidarunt. Sceleratus iste manipulus, qui in montium suorum jugis Deum & homines adeo lusit, admodum validus erat. Suspiciebantur tanquam Dii tempore Fobi & Zoroastrae.

Quo tempore homines inculti fuerant, Rolandus aliquis, Cavalierius, Johannes Leidensis, Alcidae fuissent & Osirides: hodie Osiris Alcidesque, quo celebres & insignes inter homines se redderent, nihil invenirent.

Reliquum mihi est, ut pressius considerem exemplum Hieronis Syracusani, quod Machiavellus iis proposuit, qui ope amicorum, copiarumque suarum sese tollere meditantur.

Hieron amicis & militibus suis, quorum auxilio propositi sui rationes confecerat, diffusus, novas conjunxit amicitias, novasque conscripsit copias. Ego vero ingratis Machiavelli hominumque ingratorum teneo, rationem Politicam Hieronis pessimam fuisse, majorisque prudentiae esse, si quis copiis suis, quarum fortitudinem expertus sit, & amicis, quorum perspecta & explorata extat fi-

des, Certum est, Religionem Christianam, si solis disputationibus partes suas tueretur, infirmam fore, & magis oppressum quam in Europa propagatum iri, nisi multo sanguine profuso. Sed nec minus verum est, opinionibus & novitatibus exiguo labore faciles auras cursumque secundum dari potuisse. Quot religiones, quot sectae, faciliore, quam credas, ratione inductae sunt! Fanatico furore nihil accommodatius est ad fidem & auctoritatem rebus novis conciliandam, meaque opinione nimis certam & definitam in hac materia Machiavellus pronunciat sententiam.



des, confidat potius, quam ignotis, in quibus nulla stabilis adhuc fiducia est (12).

Interim, ne quis decipiatur, non possum non auriculam Lectori vellere, ut attendat ambiguas, quos verbis suis tribuit, significationes Machiavellus. quum dicit: *abs illa occasione si fuisset, eorum animi virtus exstincta jacuisset.* Id ex mente ejus hanc sententiam habet: fraudulentos & temerarios istos homines sine opportunitate idoneorum temporum, facultatem suam ingenitam exercere non posse. Scilicet unica illa sceleris nota clavis instar obscura auctoris hujus loca explicat. VIRTUTIS nomine Itali *Muscam, Picturam, Geometriam* appellant: apud Machiavellum autem VIRTUS perfidiam notat.

Mihi generatim, ut caput hoc concludam, sola haec esse videtur occasio, quae privato alicui legitimum ad regiam dignitatem ascensum paret; nimirum vel fors nascendi in imperio, quo rex suffragiis eligitur, vel patriae liberatae meritum.

Sobieskius in Polonia, Gustavus Vaza in Suecia, Antonini Romae, heroes utriusque hujus sunt ordinis. Caesar Borgia exemplar sit Machiavello: meum esto Marcus Aurelius.

(12) Lectori argumentum hoc fusius urgendum relinquo; nemo, eorum, qui ab ingrati animi crimine abhorrent, quosque aequus sic amavit Jupiter, ut amicitiae vim perspexerint, in sterili hic versabitur materia.

## CAP. VII.

Compāra, quaeso, Principem Fenelonii cum hoc Machiavelli Principe. In altero (1) *bonitatem, aequitatem cunctas* conspicies virtutes; Princeps ille videtur sane aliquis esse ex \* puris illis & intelligentia praestantibus animis, quos fideribus singulis Deus adjunxit, quorumque sapientiam tamquam in specula constitutam narrant, ut in gubernando mundo evigilent. In altero contra scelera (2), perfidiam (3), cuncta reperies flagitia (4).

*Telemachum Fenelonii* legenti natura nostra ad Geniorum coelestium indolem quam proxime accedere videtur. *Principem Machiavelli* evolventi eadem Stygiis daemonibus propior esse videtur.

Caesar Borgia sive Dux Valentinus forma est, ad quam Principem suum effingit, quemque impudenter iis in exemplum proponit, qui amicorum aut armorum suorum ope inter mortales se efferunt.

Itaque valde opus est quaesito, quid hominis Caesar iste Borgia fuerit, ut & heroem istum & auctorem, a quo celebratur, pernoscamus. (5) Borgia

(1) indolem boni viri, bonitatem, justitiam, aequitatem, cunctas, ut verbo dicam, virtutes, omnibus numeris & partibus suis perfectas & expletas

\* *Intelligences.*

(2) fallacias

(3) prodiones

(4) uno verbo monstrum est, quod Infernus ipse non sine maximo labore produceret.

(5) Nullum est crimen, quod Caesar Borgia non commiserit



gia fratrem suum, gloriae & amorum suorum aemulum (6) in ipsius sororis suae conspectu interfici iussit. Helvetios, Pontificis Romani satellites trucidandos curavit, ut offensiones matris suae ab nonnullis Helvetiorum acceptas ulcisceretur. Multos e purpuratis curiae Pontificiae patribus (7) spoliavit, suas ut expleret cupiditates. Romandiolam justo domino Duci Urbino eripuit. Crudelem D'Orco hypotyrannum suum leto dedit. Execranda & detestabili conjuratione Senogalliae aliquot Principes e medio sustulit, quorum vitam utilitatibus suis adversam credidit. Matronam quendam Venetam, cui consueverat, aquis submergi curavit. Sed quot crudelia ipsius iussu non admitta sunt facinora? ecquis omnia ejus enumerare valeat crimina? Talis ergo fuit iste homo, quem Machiavellus omnibus magnis seculi sui ingeniis, omniqve ex antiquitate Heroibus praefert, cujus dignam existimat vitam (8), ut quasi exempli causa his, quos fortuna evehit, prodatur. Sed Machiavellus pressius & exactius oppugnandus est, ut nulla iis, qui cum eo faciunt, effugia relinquantur (9). Caesar Borgia excogitatas potentiae suae rationes ruinae Principum Italiae, velut fundamentis quibusdam, superstruxit (10). Bona & facultates vicinorum meorum ut obsideam, ipsi infirmam erunt: Vicinos ut frangam, hi inter se committendi erunt. Ita se habet Logica sceleratorum!

Bor-

(6) fere

(7) & locupletiores alios

(8) & actiones

(9) nec ullum turpitudini illorum praesidium & latibulum superstit.

(10) omnia

Borgia adminiculum, ad quod adniteretur, quaerente, fieri non potuit, quin Alexander VII divortii veniam daret Ludovico XII, (11) ut hinc subsidium obtineret. Et hoc quidem pacto usu venire solet, ut, qui homines ad integram & frugi vitam ducere debuissent, assimilato rerum coelestium commodo propriis velificentur utilitatibus. Si Ludovici XII. matrimonium ejus naturae fuit, ut vincula ejus minime constare possent, Pontifex illa disrumpere debuisset; sumimus enim adhuc, ejus rei potestatem illi factam esse. Sin minus matrimonium hoc ea conditione fuit, ut divortii patiens esset, nihil hic, quod definiret, Ecclesiae Romanae caput habuit.

Borgiae intererat, affectas sibi comparare: largitionibus ergo (12) factiones Urbinorum corrumpebat. Sed ne aucupemur & anxie exquiramus in Borgia crimina, largitionesque ejus, si non alia, hac saltem de causa susque deque habeamus, quod falsam quendam beneficiorum prae se ferant speciem. Borgiae propositum erat ablegandi & removendi à se Principes quosdam ex gente Urbina, (13) Vitetotzum, Olivierium di Fermo &c. Agnoscit prudentiam ejus Machiavellus, quod Principes istos Seno-Galliae ad se arcessitos è medio per insidias sustulerit. Abuti (14) fides hominum,

(11) ut ipsi opera & auxilio suo praesto esset. Adque hoc pacto tot profecto Politici urbi illuserunt, suisque solum commodis studuerunt, cum in rerum coelestium dextra procuratione toti intenti & defixi viderentur.

(12) factionem

(13) Vitelotzum, Olivetum

(14) bona



num, technis infamibus uti (15), perjurio se adstringere, ficarii partes occupare, ea sunt, quae magister hic scelerum prudentiae nomine appellat. Quaero autem, num prudentiae sit, viam & rationem (16) pejerandi (17) monstrare? Si fidei & jurisjurandi religionem evertis, quas hominum in te fidei sponsones accipies? Ede, quae, proditoris exempla, ipsemet insidiarum periculum tibi metues: exempla nefariae occisionis relinques, manus discipulorum extimesces. Borgia crudeli D'Orco praefecturam Romandiolae detulit, ut perturbationes quasdam reprimeret. Borgia barbara animadvertibat immanitate, in crimina aliorum, suis hercle leviora. Ergone omnium, quotquot audaci usurpatione aliena imperia obsident, violentissimus, perfidorum perjurissimus, ficariorum crudelissimus, veneficorum ignominiosissimus, etiam ad supplicia atrocissima tradit facinorosos quosdam furunculos, capita quaedam turbulenta, homines, qui ipsam novi domini sui indolem minoris imagunculae forma & pro modula capacitatis suae expressam repraesentaverunt.

Rex ille Polonorum, cujus mortem tot perturbationes Europae consecutae sunt, convenientius & liberalius cum civibus ditionis suae Saxonicae egit.

Lex Saxonum adulteri cujuslibet collum gladio amputandum destinaverat. Equidem nescio, quo ex fonte barbarae istius legis originem repetam, quippe quae potius Italorum indoli, in matrimonii fidem suspiciosissimorum, quam temperatae Ger-

(15) proditores frueri

(16) fallendi fidem &

(17) hominibus

manorum naturae respondet. Infelix homo quidam, eadem, in quam peccaverat, lege condemnatus fuerat: Augusto lata mortis sententia subscribenda traditur. Ille vero & amorum & humanitatis sensu commotus, gratiam delicti reo fecit, legemque semetipsum tacite damnantem abrogavit. Humanioris & tenerioris animi laudem rex hac agendi ratione probavit: Caesar Borgia vero impotentis tyranni more poenas constituebat. Ad extremum Borgia articulatim concidi iussit crudellem D'Orco, qui tam exacte consiliis & institutis ejus satisfecerat: nimirum, ut ex supplicio hoc de servo ac ministro suae immanitatis sumto, gratiam (18) sibi colligeret. Scilicet onus tyrannidis nunquam vehementius ingravescit, nisi cum tyrannus personam innocentis viri induere studet, cumque oppressio umbra legum se contegit. Borgia tanta ad praecavendum intelligendi astutia usus est, ut casibus, post mortem Pontificis Romani, patris sui, metuendis provide occurreret: cujus cautionis primordia cepit ab everfione eorum, quos opibus & bonis suis spoliaverat, ne Pontifex novus, quemquam, qui eum reum faceret, proferre posset. En tibi criminum velut fluminum alia ex aliis auctioraque semper praecipitia! Sumtibus ut copiae suppetant, facultatibus opus est: hae ut adsint, possessores inde exturbandi; ut rapto securus fruaris, iidem exterminandi sunt. Ratiocinationes sane grassatoribus & percussoribus dignissimae!

Borgia purpuratos quosdam Pontificii Collegii patres veneno sublaturus, illos una cum patre suo ad coenam vocat. Pontifex & ipse obbibunt im-

(18) populi



prudenter potionem veneno mixtam: Alexander VI. hac extinguitur. Borgia effugit periculum, ut vitam miseram, dignam scilicet veneficis, & sicariis mercedem, produceret.

Et haec est prudentia illa, haec agendi dexteritas, hae virtutes, in quibus commendandis defatigari nescit Machiavellus. (19) *Bossuet, Flechier, Plinius, non magnificentius dixerint de heroibus suis, quam de Caesare Borgia Machiavellus.* Quodsi elogia, quibus eum mactat, Oda quaedam, vel Rhetorica figura essent, argumenti damnato delectu ejus ingenium laudari potuerat: verum enim vero longe aliter se res habet. Libellus est Politicus ad posteros transmittendus: serio plane conscriptum est opus, in quo tam impudens est Machiavellus, ut monstro, omnium quotquot infernus unquam in terrarum orbem evomit, maxime detestabili praeconia laudum tribuat. Id vero est odio generis humani, data opera, communi-que animo se exponere.

(19) Meldarum Episcopus magni nominis, Nemausi Episcopus celeberrimus, eloquens Panegyrici auctor

### C A P. VIII.

Rubore Machiavellum suffusus haud alia praeterquam propria ipsius verba adducam. Si dixerō, Machiavellum praecepta illis tradere, qui summam sceleribus suis potentiam acceptam referunt: numne atrocius illum accusare possim? Atqui haec est inscriptio hujus capituli. Machiavellum, si flagitiorum disciplinam in *Seminario quodam scelestorum* traderet, si perfidiae artes in *Academia* quaedam proditorum profiteretur, tra-

Etan-

stantem hujus generis materias minime miraremur. Ad omnes autem verba facit (1), praecipue vero ad illum hominum ordinem orationem defleat, qui aliis gubernandis consecrati eximia & singulari se virtute probare debent.

Quid quaeso vel ad infamiam turpius, vel insolentius est, quam eos perfidiam (2) & parricidia edocere? Commodum univrsi generis humani potius optandum esset, ut Agathoclis & (3) *Olivierii* de Fermo aliaque his similia exempla, in quibus laudandis mire Noster sibi placet, nunquam innotuissent. Agathoclis alicujus aut (4) *Olivierii* di Fermo vitae, eam habent vim & naturam in homine, qui suapte sponte in scelerum foeditatem fertur, ut periculosi germinis in eo, licet ignoret, insiti fibras herbescens diffundere & amplificare possint. Quot juvenes lectione librorum, commentitios heroum & heroidum amores describentium, mentem a sua sede & loco dimoverunt, ut nihil viderint cogitauerintque, quam Gandalinum aut Medorem? Epidemica (5) quaedam in cogitandi ratione contagio datur, quae ab hujus animo profecta in alterius mentem serpit. Caput illud plane extraordinarium, Rex ille (6), cujus singulae virtutes (7) *plus aequo* intentae in vitia degenerauerunt, Carolus, ut verbo dicam, XII<sup>mus</sup>, vitam Alexandri Magni a te-

- ner-
- (1) auctor enim, cujus scripta typis exprimuntur, omnibus & singulis sui copiam facit.
  - (2) prodicionem.
  - (3) Oliveti
  - (4) Oliveti.
  - (5) si ita dicere licet
  - (6) periculorum & vitae contemptor, antiquo *Equitum* ordine dignus, Heros ille errabundus
  - (7) ad nimium quendam modum



nerrima aetate secum gestavit, & complures, qui Alexandrum hunc Arctoum priuatim & familiarius nouerant, omni asseueratione affirmant, Quintum Curtium Poloniam expilasse, Abdolonymo regem Stanislaum suffectum esse, pugnamque ad Arbela ansam & occasinem dedisse cladi Pultaviensi. (8) *Utinam vero Machiavellus solos Alexandros laudasset! Ex Agathocle & Fermo prudentiae & prosperae fortunae exempla petenda esse, edicit. Isti, siquidem res fidem faciat, paruos suos prin-*

- (8) Licetne mihi a tanto exemplo ad minora descendere? Credo equidem, in earum rerum, quae menti humanae accidunt, expositione, differentia Ordinum & dignitatum evanescente, reges homines esse, homines vero pares inter se videri. Generatim tantum temperationes & conformationes, a causis quibusdam externis in intelligentia mentis humanae inpraesae, hic attenduntur.

Quis tam hospes est in Anglia, quem fugiant, quae aliquot abhinc annis Londini evenerunt. Agebatur hic in scena Comoedia quaedam modici adparatus, a latronibus & furuncolorum artificibus inscripta. Argumentum fabulae hujus circumductionum, fallaciarum, & mirandarum, quibus furtifica haec natio utitur, praestigiarum constabat. Non pauci spectatorum statim ut ex Theatro discesserunt, annulos, pyxidesque pulvere odorato sternutamentum cientes, nec non horologia sibi subrepta sentiunt; Auctorque ludi tam facili Laverna discipulos invehit, ut disciplinae suae praecepta in ipsa spectatorum adstantium area exercita sint. Quam perniciose & pestifere mala allegentur exempla, haec, ni fallor, satis demonstrant.

Quae Machiavellus primo loco de Agathocle & Oliviero di Fermo disputat, eorum summa huc redit, ut inquirat rationes, ob quas crudelitas istorum non obtulerit, quo minus in parvis imperiis suis se tuerentur? Causam ejus rei hanc adfert auctor, quod crudelitates has in loco adhibuerint. Quare

*principatus sibi conseruarunt, quia crudelitates opportune adhibuerunt.* Barbara immanitate prudenter uti, & tyrannida finibus suis convenienter exercere, ex Politici hujus mente significat, omnem violentiam & crimina cuncta, rationibus cujusque prodesse visa, una simul opera committere. Tolle e medio, quotquot tibi suspecti (9) vel etiam professi sunt inimici tui: Sed cave spatium & moram vindictae tuae relinqvas.

Machiavellus approbat machinationes Vesperis Siculis similes, vel etiam cruentis D. Bartholomaei feriis, quibus sane nullum non crudelitatis genus omissum fuit, adeo, ut animus paulo humanior vel memoriam ejus non possit non perhorrescere. (10) Flocci facit horrendam horum scelerum atrocitatem, dummodo ea ratione committantur (11), ut eo ipso, dum recentia sunt, momento horribilia sint: cujus rei hanc adfert rationem; quod illorum sensus ex animo vulgi facilius evanescat, quam memoria crudelitatis, pedetentim & continue (12) exercitae: quasi non aequae grave sit, una die mille homines perdere, atque intercapedinem jugulandi facere. Nondum omnia, quae Machiavelli horrendam morum doctrinam convellunt, adtuli: etiam mendacii & malae fidei convincendus est. Primo falsum est (13), Agathoclem criminum suorum fructibus tranquille sese oblectasse. Semper fere bello adversus Carthaginenses occupatus, quin immo exercitum suum

- (9) & quibus diffidis  
 (10) Monstrum hoc  
 (11) populo glaucoma objiciant &  
 (12) a Principibus  
 (13) quod Machiavellus ait



suum in Africa relinquere coactus fuit. Hic post discessum illius liberos ejus trucidavit, Agathocles ipse autem potione venenata, quam suus sibi nepos praebuit, exstinctus est. (14) *Olivierius di Fermo perfidia Borgiae periit (15), altero post anno, quam ad honores adscendisset. Sic sceleratus sceleratum multavit, privatoque praecepit odio, quae publicum Olivierio paraverat odium. Tametsi scelus ipsum impune committi posset: tametsi tyrannus ab exitu tragico securus esset: tamen aequae miser & infelix erit, cum generi humana se sentiat opprobrio esse. Internum conscientiae suae iudicium extinguere non poterit, quae testimonium contra se dicit (16). Supplicium veri nominis, supplicium intolerabile hoc est, quod pectoris semper circumfert domicilio. Non est ea humanae naturae conditio, ut felix possit esse sceleratus homo. Legantur vitae*

(14) Olivetus

(15) accepitque mercedem criminibus suis dignam. Sicut vero hoc altero evenit anno, postquam alienum invaserat imperium: ita casus ejus tam adproperatus videtur, ut supplicio isto, quae publicum illi paraverat odium, praeceperit.

Exemplum adeo Oliveti di Fermo praeterire debuerat auctor, cum nihil probet. Machiavelius sane cuperet prosperam & facilem sceleri fortunam adspirasse, sequere hinc validam quamdam rationem, quae ei rei fidem faciat, aut saltem mediocre quod in medium proferri possit, argumentum invenisse laetatur.

At ponamus, crimen tuto committi, sceleratamque improbitatem suam a tyranno impune exerceri posse; quin etiam si

(16) non poterit silentium inponere potentissimae voci, quae in solio regum auditur: non poterit evitare anxium ex funesta melancholia sensum, qui imaginationem suam vexabit, ac toto vitae tempore carnifex suus tortorque erit.

vitae Dionysii, Tiberii, Neronis, Ludovici XII<sup>mi</sup> (17) *Johannis Basilii*, tristissimo post homines natos fato (18) *hos bipedum nequissimos* vitam finivisse patebit. Ea est naturae in homine crudeli temperatio, ut generis humani odio laboret, atque bile redundet: quam incommodam corporis sui habitudinem, nisi ab ineunte aetate subegerit, fieri non potest, quin tam furiosus quam excors evadat. Quare, si nec Justitia ipsa in terris, nec numen aliquod in coelo existeret, etiam hoc magis virtutis studia mortalibus colenda forent, quod sola virtus homines conjungat, eorundemque conservatio unice ex hac pendeat: cum vitiositas non possit non maximis malis obrutos homines destruetum ire.

(17) tyranni Basilii &c.

(18) monstra haec stupori aequae ac furori damnata

## C A P. IX.

Naturae humanae non alius magis proprius est quam libertatis sensus. Expolitissimis hominum aequae ac barbarorum ultimis penitus ille insitus est. Ut enim nullis catenis constrikti nascimur, sic & liberam vivendi potestatem nostro velut jure asflagitamus. Spiritus ille alieni impatiens arbitrii & confidentiae plenus heroes tot in orbe terrarum produxit, popularique rerumpublicarum gubernationi, quae homines in aequalitate quadam inter sese ponuntur, & in statum legi naturae congruentem aliquanto restituantur, ansam dedit.

Bene se habent arcana sapientiae consilia, quae Capite hoc Machiavellus illis tradit, qui supremae potentiae gradum, libero Procerum in republica



consensu, conscendunt. En tibi unicum illum casum, quo boni viri partes explendi copiam Noster facit. At (malum!) nunquam (1) ejusmodi occasio usu venit. Genius civium rempublicam liberam colentium, libertatis causa ultra quam par est, suspiciosus, singula, quae compedes sibi injicere possint, ad metum accipit, & vel sola domini cogitatione tumultuatur. Notae sunt in Europa gentes, quae suis legibus victurae, jugum tyrannorum suorum excusserunt: at quae libertate, qua usae fuerant, posthabita, voluntariae semet servitati submiserint, ignorabiles sunt.

Rerumpublicarum pleraeqve temporum progressu & inclinatione ad dominatus reciderunt: imo fatum hoc inevitabile omnibus inpendere videtur. Unica enim respublica, quomodo per sempiternas seculorum aetates resistere possit omnibus illis causis, quae cuniculis quasi libertatem ejus subruunt? Quomodo semper continere poterit magnatum animos principatus cupidos, quos in sinu atque complexu suo fouet? Quomodo in longitudinem suffecerit vigilantia, qua animorum alienationes & disjunctiones, clandestinas vicinorum technas, membrorum suorum corruptelas providere decet, cum privati commodi dulcedo inter homines rerum omnium praepotens sit? Qua spe prosperos semper bellorum suscipiendorum exitus animo praecipiet? Quomodo temporum, libertati infestorum inclinationes, tot dubia (2) temporum momenta, tot casus corruptis & audacibus hominibus propitios, antevertere poterit? Ignavi & nullius animi duces, si copiis reipublicae prae-

(1) fere

(2) &amp; decretoria

fuerint, parata hostibus praeda erit respublica. Imperatoribus autem alacribus & strenuis si summam belli dederit, bello defunctos pace periculosos habebit. Omnes fere respublicae ex alta (3) servitutis voragine emersae se in culmen libertatis erexerunt: sed & omnes fere ex hac libertate in servitutem reciderunt. Idem Athenienses, qui Demosthenis aetate tam insolenter adversus Philippum se efferebant, ad Alexandrum arrepebant; iidem Romani regium nomen adeo exosi, regibus pulsus, seculisque aliquot elapsis omne tandem crudelitatis, ab imperatoribus suis exercitae, genus patienter tulerunt; & illi ipsi Britanni, qui Carolum I. capite plexerant, eo, (4) quod jura quaedam non adeo magni momenti usurpaverat, praefractam animosae virtutis suae obstinationem postea sub (5) feroci, sed politula tyrannide tutoris sui inflexerunt. Itaque non ipsae respublicae suo sibi arbitrio rectores constituerunt, sed homines ad omne facinus prompti, opportunitate quadam rerum optato concurrentium adiuti, eas invitas sibi subjecerunt. Quo pacto homines nascuntur, aliquandiu vivunt, morbisque aut senio emoriuntur; eadem ratione respublicae initia ordiuntur, per secula aliquot florent, ad extremum civis alicujus audacia aut hostium armis pereunt. Singulae res certos temporis sui terminos agnoscunt, (6) vel maxima orbis terrarum imperia praefinitas habent aetates. Nulla non respublica, tale sibi tempus imminere praesentens, omnem potentiorum domum

(3) tyrannidis

(4) invaserat

(5) potentia tumida

(6) omnia regna &amp;



num tanquam stirpem ac semen morborum, fatalem horam sibi allaturorum, existimat. Reipublicae vere liberae cives nunquam induci poterunt, ut dominum sibi constituent, optimum, inquam, dominum. Semper enim tibi opponent: „ Satius est, ex legum auctoritate, quam ex unius hominis nutu & libidine pendere. Leges naturae suae justae & bonae sunt, homo à natura injustitiae labem habet: illae remedia sunt malorum nostrorum quae sub manu ejus, cui velle satis est, facillime in potionem mortiferam se vertere possunt. Denique libertas est bonum, quod nobiscum nascitur. Quid nobis, cives reipublicae quaerent, in mentem veniat, quamobrem nostro nos spoliaturi simus bono? Quanto jam crimini datur, a domino legum auctoritate sancito descivisse, tanta quoque rempublicam servitute oppressisse injuria est. ”

## C A P. X.

Ex quo tempore Machiavellus *Principem* suum *Politicum* conscripsit, orbis terrarum adeo immutatus est, ut vix antiqui facies agnosci possit. Si peritus aliquis ex Ludovici XII<sup>mi</sup> copiis tribunus hodie ab inferis ante oculos statueretur, peregrini atque hospitis instar prorsus haereret. Rem bellicam non infinitis. Solum copiis administrari videret (1), sed & pace aequae ac bello istas ali ac sustentari miraretur: cum aetate ejus manipulus hominum maximis praeliis committendis, maximarumque, quae quisque susceperat, rerum consiliis

(1) quae vix in castris sustentari possunt

illis perficiendis sufficeret, legionesque confecto bello dimitterentur. Nempe lanceis tunc utebantur & vestibus ex ferreis laminis compactis contegebantur. Habebant equidem & fistulas \* illas aere vel ferro ductas, unde glandes plumbeae ignea vi nitrati pulveris emittuntur: sed ignis, quo pulvis ille incenditur, ope rotulae ex silice excubatur. Pro quibus hodie offenderet communia uniformis habitus vestimenta fistulasque \*\* eo in genere aptiores, quippe quae & facilius corripunt flammam & pugione praefixo hastarum locum obtinere possunt. Novam inveniret methodum castra locandi, obsidionem inferendi, praelia edendi, inprimis autem copias sub signis continue sustentandi artem, quae (2) non minus (3) atque *hostes profligandi scientia*, necessaria est. Et quae verba Machiavellus ipse faceret, si novam corporis Politici in Europa formam oculis suis subjicere posset, si tot potentissimos Principes, qui cum nullo olim in numero essent, omnium hodie in se oculos convertunt? Si, inquam, videret regnorum vires tantis firmamentis stabilitas, summorum Principum de rebus inter sese transigendi modos: aequilibriumque illud, quod in Europa potentiores quidam Principum inita foederis societate aequabiliter continent, ut imperiosorum & potentiae cupidorum coeptis, nec non gentium tranquillitati consulatur.

Quae omnia generatim atque universi tantam rerum mutationem fecerunt, ut maxima pars Politico-

\* arquebuses à rouet.

\*\* des fusils avec de bayonnettes.

(2) plane

(3) hodie, quam umquam alias esse potuit



rum Machiavelli axiomatum ad hodiernam Politices nostrae disciplinam accommodari nequeat! Idque hoc praesertim caput planum facit ex quo quaedam in medium protulisse exempla juvabit.

Machiavellus ponit Principem longe lateque potentium terrarum potentem, praetereaque pecunia & armis instructum suis se viribus, sine ullius sociorum auxilii, contra hostiles incurfus sustinere posse.

Id vero ipsi negare ausim. Addo etiam contendere fieri non posse, ut Princeps solus, quantumvis terribilissimus, duobus validis hostibus par sit restendo, auxilioque quorundam sociorum carere possit. Quod si formidolosissimus pariter ac potentissimus Europae Princeps Ludovicus XIV.<sup>us</sup> bello illo ob successionem in locum Hispaniae regis suscepto, in extremum tandem succumbendi discrimen devenit, cumque nudus à fociis esset, vix porro tot regibus & Principibus, in societatis foedera alligatis, jamque ad se opprimendum (4) paratis resistere potuit: Quanto minus Princeps quisque illo inferior (nisi multa cum periculo experiri malit) fortium sociorum expers, & ab aliorum adminiculis sejunctus manere poterit?

Dicunt vulgo & parum considerate sed frequenter in ore habent principum pactiones & conventiones nullam habere utilitatem cum singulis conditionibus nullo quisquam tempore manserit, nostraque aetate nemo (5) religiosior quam ullo alio tempore quisquam inveniatur. Quibus sic apud animum suum reputantibus respondeo: minime

(4) animo & cogitatione defixus  
(5) hoc in genere

me dubitare quin antiqua immo recentissima quoque reperiantur exempla Principum, qui promissis atque pactionibus suis non adeo sancte steterint: Nihilominus pactiones facere maxime semper conducit. Quanto plures socios tibi amicoque adiunges, tanto pauciores inimicos habebis, & quamlibet nullam sibi opem & auxilium ferant, ipsosque saltem ut aliquandiu neutram in partem se moveant (6) adiges.

Machiavellus porro loquitur de *Principini*,\* minorum gentium regibus, qui angusti sui imperii finibus circumscripti infirmiores sunt, quam ut bellum instruere valeant. Auctor plurimum in eo ponit, ut urbem, quae caput est terrarum suarum, probe muniant, sic enim bello exorto cum copiis suis septi & inclusi in ea latere poterunt. Principes (7), de quibus verba facit Machiavellus, non secus atque Hermaphroditi bifformes sunt, & misti ex Principibus & privatis generis: partes & personam (8) *Summorum Principum in*  
thea-

(6) certissime semper

\* *Souverains en signature.*

(7) Itali

(8) inter domesticos tantum & familiares suos sustinent. Rationibus eorum nullo meliori posse prospectum iri consilio videtur, quam si moneantur, ut infinitam magnitudinis & potentiae suae opinionem, nimiam vetustae & illustri stirpis venerationem, & non violabilem illum, quo insignium suorum studio flagrant, ardorem nonnihil diminuant. Homines cordati se rebus suis rectius consulturos censent, si non alium dignitatis splendorem prae se ferant, quam qui convenit majorum gentium dominis, possessionibus suis ad liberaliter vivendum facile contentis: si semel tandem grillatorias, in quas inpotentis animi superbia extolluntur, perticas abiciant: si non majori factellitum praesidio utantur, quam quod par sit repellendis ab arcibus suis praedonibus, si tanta forte gu-



theatro minuscule sustinent; si fines illorum Principibus se nihilo majoribus circumcirca terminentur, quare oppida sua muniant, satis causae habent, duae \* exaggerati munimenti projecturae, & ducenti milites, sibi & vicinis suis, tantum profunt, quantum verae justitiae operibus munitae arces centenaque armatorum milia magnis regibus praestant.

At si parvarum regionum domini ita siti & collocati sint, quemadmodum Barones in Gallis vel in Britan-

tae rabie vexati fuerint, ut victum hinc sibi quaerere constituerint; Si vallorum moles, muros, & quidquid munitae arces speciem aulae suae conciliare potest, diruant.

Rationes hae sunt: maxima minorum & nominatim in Germania Principum pars fortunis suis ruinam infert per sumtus, si reditum habeas rationem nimios, quos vanae magnificentiae studio ebrii infumunt. Celsum profapiae suae decus conservaturi sese pessumdant, vanitateque ista in viam, ad miseriam & Xenodochium ferentem, abripiuntur. In serie Principum portionem quandam paternarum opum pro summa regni potitorum, ipsius minimo natu Principis minimus filius vix invenitur, qui non Ludovico XIV<sup>to</sup> similem se credat, Versaliam suam struit, pellices suas habet, exercitus suos alit.

Re vera reperitur Princeps quidam privatus, Augusta ex domo prognatus, qui studiosissimus regiae magnificentiae aemulator, plene & enucleate omnia copiarum genera, quibus magni regis cohors praetoria constat, sibi comparavit, eaque sustentat, adparatu sanae tam minutulo & perexiguo, ut ad annoscendum sigillatim singulos ordines microscopio opus sit: exercitus ejus forte satis magnus esset ad simulacrum praelii in Theatro Veronensi exhibendum.

Secundo loco dixi, minores Principes, suae ditiorum sedem ac caput, urbem munituros rebus suis parum bene consulere: ratio ejus rei plana est & facilis

\* bastions.

tanniis: aut si Imperii Romani Principes minores sint: mea quidem opinione propugnacula & copiae illos labefactare possunt amplificare non item. Periculofus est regius spiritus, si a regis opibus nudus & inermis sit. Nimio magnificentiae studio tuendae domus avitae possessiones saepe evertuntur. Non unus ex Principibus \* portionem quandam paternarum opum pro summa regni sortitis triste ejus rei documentum dedit. Quisquis genus quod dum exercitus alit, cum levi satellitum praesidio contentus esse deberet: quisquis corporis stipatoribus utitur, cui domesticum famulorum ministerium satisfacere possit: is non potentiae splendorem, sed vanitatem & umbram gloriae sectatur, vanitas autem haec proxima ad egestatem via ducit.

Quid est, quod munita teneant loca? Nunquam enim usu venit, ut à sui similibus obsideantur. Finitimi enim potentiores illico se controversiis illorum interponunt, pacisque conditiones, quarum repudiandarum arbitrio carent, utrique offerunt: & sic sanguis finiendarum tam levium concertationum gratia profundendus, duorum calami ductuum ministerio redimitur.

Quem usum illis (9) afferant arces munitae? licet iis instructi sint viribus ut obsidionem a minoribus hostibus suis sibi illatam, Trojanaeque illi diurnitate parem tolerare valeant, numquam certe obsidionem Hierichuntinae similem adversus regis alicujus potentis admotas copias sustinebunt. Praeterea, si in vicinibus & confiniis majora moveantur bella, non ad arbitrium suum medios se gerere poterunt: funditus enim everterentur. Sin autem ad alterutrum ex belligerantibus partes se

\* Prince, appanage.

(9) igitur



se adgreget, moles belli à principe hoc suscepti in caput regionis suae devolvetur.

Descriptio liberarum in imperio Germanico urbium, quam Machiavellus subjicit hic, à praesenti illarum statu prorsus discrepat. Unica machina arietaria (10), illaque deficiente, solum Imperatoris edictum satis esset ad dominatum illis in urbibus obtinendum. Nulla illarum recte est munita, pleraeque muris vetustis cinctae, quorum latera passim vastae tegunt turres: fossas circumductas revulsa humus penitus fere (11) obruit. Praesidia militum exigua, & hi, quos in armis habent, incondita disciplina exercitati: militum suorum praefecti (12) magnam partem senecta confecti, muniisque obeundis impares sunt. Nonnullae liberarum imperii urbium apparatus bellicarum machinarum bene sunt instructae, sed ista non satisfacerent repugnandi adversus Imperatorem conatui, quippe qui saepius illis imbecillitatis suae documenta praebere consuevit. Ut verbo dicam, bella facere, praelia committere, arces munitas invadere aut defendere, magnorum tantummodo (13) Principum opera sunt: aemulique & imitatores illorum, viribus tantis destituti, similes sunt illi, qui fragorem tonitruum imitatus Jupiter sibi videbatur.

(10) imo

(11) opplevit

(12) aut rejicula Germaniae turba

(13) regum

## C A P. XI.

Ex omni aetatum memoria vix invenio sacerdotes ad regiam dignitatem evectos. Inter cunctos

Etos populos, quorum manca ac debilis cognitio nobis relicta est, soli exstare videntur Judaei, qui continuatione serieque quadam exhibent Pontifices summa rerum petitos (1); in ceteris autem ubicumque (2) adparet, antistites sacrorum nullis aliis rebus, praeter muneris sui functionibus vacasse. Sacrificia faciebant, salaria accipiebant, praerogativas (3) habebant: (4) raro docebant, numquam gubernabant. Cumque nec dogmata, (5) quae animos populorum dissociare possunt, foverent, nec (6) autoritate, qua abuti possent, pollerent, hinc intelligi puto, cur apud (7) veteres nunquam religionum causa suscepta legantur bella.

Romano imperio labante, Europaque Barbarorum incurfionibus in Anarchiam prolapsa, summa rerum in mille minutos secta fuit dominatus. Multi Episcoporum Principes semet constituerunt, ex Pontifice Romano exempla petentes. Credibile est, populos ecclesiastica administratione gubernatos satis florente uti fortuna. Principes enim suffragiis lecti, (8) quorum imperia angustis definita sunt terminis, qualia certe Ecclesiastica illa inveniuntur, minus avare populis suis imperitare debebant, si non religionis, politicae saltem

(1) Nec mirum, in gente omnium barbararum nationum superstitionissima maximeque rudi, eos qui summi religionum antistites fuerunt, tandem rerum gerendarum gubernacula usurpasse.

(2) credo sacerdotes

(3) aliquas

(4) sed nec docebant, nec publicam rem administrabant

(5) ad dissociandum populi animos

(6) nec potestate qua

(7) ipsos nulla

(8) Principes summae rerum proveciori jam aetate praefecti, Principes demum



saltem prudentiae nomine. Nihilominus constat, non aliam magis, quam (9) ordinis Ecclesiastici ditioni subjectam regionem frequenti mendicorum examine fervere. Universa humanae miseriae facies illic velut in tabula expressa conspicitur. Pauperes videas, non illos quidem, quos liberalitas & stips Principum benigne erogata allicit, infecta, dico, ista locupletibus sese insinuantia, nidoremque opulentorum sectantia: sed famelicam nationem illam, (10) cultu ac victu necessario, ejus-

(9) Sacerdotum

(10) Mendicorum, quos Principes pro charitate sua rebus ad vitae cultum necessariis privaverunt, ut animi pravitatibus & abusui, quo rerum abundantia illectus populus peccare solet, obstruant.

Leges Spartanae, quibus argento interdcebatur, fundamenta procul dubio sunt, quibus principia ple- rarumque Ecclesiasticarum gubernandi formarum superstructa sunt: hoc solo discrimine, quod Praefules facultatum, quibus subjectus populus privatus est, usum sibi integrum referunt. Beati, inquit, pauperes sunt, quia regnum coelorum haereditate accipient; cumque omnes homines salutis suae participes cupiant, de omnibus hominibus ad egestatem redigendis solliciti sunt.

Non alia profecto, quam summorum Ecclesiae Antistitum & Vicariorum Jesu Christi historiae vitae melioris magistra esse debuerat: credas hic sanctiora & supra culpae reprehensionem posita morum exempla reperiri. Nihilominus longe aliter se res habet, nec fere quidquam invenias praeter obscenissimas turpitudines, execranda flagitia, & pessimi exempli documentorum scaturigines: nec vitas Pontificum Romanorum legere poteris, quin iterum iterumque crudelitates istorum & perfidiae scelera detesteris.

Conspicitur hic ubique fastus ipsorum pleno gradu ad potentiam suam, qua civilem qua Ecclesiasticam augendam, progressus: conspicitur hic avaritia ipsorum in facultatibus populi ad familias suas derivandis valde occupata, ut nepotes sui, pellices & nothi omnium rerum copiis ditentur.

Qvot.

que comparandi facultate privatam. Diceres gentes istarum regionum legibus Lacaedemoniorum vivere, qui auro & argento suis interdcebant: nemo fere praeter Principes illarum lege hac solutus est.

Cujus rei communis quaedam causa haec est, quoad gubernaculis sero admoti, exiguo muneris fruendi, haereditumque locupletandorum spatio sibi relicto, raro animum inducant, & nunquam tempora attingant utilibus & longioris morae coeptis perficiendis paria. Ab institutis majoris momenti, a commerciis, & quicquid a lentis operosisque profiscitur initiis, ratio illorum & voluntas longissime abhorret. Credunt se peregrinorum more non tanquam in domo, sed velut in hospitio commorari. Solium, quod terent, alienum est; nec a patribus

Qvotqvot rerum agendarum rationes parum perquirunt, mirantur sane, populos tanta docilitate patientiaque oppressionem hujus generis Principum sufferre, nec attollere oculos ad vitia tanta & Ecclesiasticorum tam aperte officii numeros praetereuntium facinora: tantamque demum capitis rasi libidinem toleranter pati, quantam nec in vertice sufferrent laurea cincto. Ad phaenomenon hoc minus mirabile videtur iis, qui potestatem superstitionis in idioras & vim fanatici furoris in mentem humanam intelligunt. Perspectum habent, Religionem esse vetulam quamdam machinam, quae nullo umquam usu consumetur, quaeque omni ex tempore usi sunt homines ad fidelitatem populorum tutam sibi praestandam, & ad frenum indocili humanae rationis indoli injiciendum. Norunt satis, vel perspicacissimos homines errore excaecari posse, & potentissimam omnium esse politicam artem illorum, qui coelum & Acheronta, Superos & Orco damnatos movent, ut rationes consiliorum suorum perficiant. Usque adeo verum est, Religionem ipsam, purissimum illum omnium, quae in nos redundant, bonorum fontem, abusu nimis quam dolenter deplorando, in originem & caput malorum nostrorum saepe numero converti.



tribus sibi traditum, nec à se posteris suis relinquendum. Nec affecti sunt animo regis, patrisque familias, suorum causa laborantis: nec hominis, rempublicam colentis, qui omnia ponit & quasi consecrat in patria sua. Etsi forte non nemo ex illis dignam patriae patrie cogitationem susceperit, ante vita decedit, quam fecunditatem reddiderit campo, decessorum suorum negligentia spinis & dumetis obsito.

Causam agnoscis jam, cur de nonnullis Principibus Ecclesiasticis Stomachosiores habitae sint querelae, quasi bonis & facultatibus populi pellices suas & pellice genitos, nepotesque suos saginaverint.

Monumenta supremorum Ecclesiae antistitum memoriam complexa, mera virtutis exempla suppeditare deberent.

Quae vero iis contineantur, satis novimus: quosque tam puros & integros esse par erat, corruptissimos saepe fuisse, nemo ignorat.

Qui parum in rebus vestigandis curiosi sunt, mirantur populos tam patienter oppressionem & vexationes hujus generis Principum sustinuisse, tantumque capitis ad aram prostrati in potentiam tolerasse, quantam nec in vertice laurea cincto ferrent.

Docilitatem hanc populi Machiavellus tribuet insigni dexteritati Principum illius, qui vicissitudine quadam sapientiae & sceleratae turpitudinis usi sint. Ad me quod attinet, credo religiones illis magno ad populos sub jugo retinendos adiumento fuisse. Pontificis mali, improbitatem odio, personam quam sustinuit reverentia persecuti sunt. Cultus & observantia dignitati ejus adhaerescens, ipsum Papam complexa est. Romanorum posteris centies in mentem venit dominum abdicandi consilium: hic vero sacra manibus suis praeferebat arma, quibus deterriti fuerunt. Aliquoties motus facti sunt in Pontifices: sed in Roma hac tiarae subjecta nun-

nunquam centesima pars tumultuum, qui in Roma prisca existerunt, inventa fuit. Tantum mores hominum imputari possunt!

Autor jam ea, quae maxime pontificiam extulerint sedem (11), explicat. Principem ejus rei causam tribuit prudenti in agendo dexteritati Alexandri Sexti, Pontificis istius, qui crudelitatis & superbiae (12) licentiam, ad extremam fere intemperantiam exercebat, justitiaeque rationes quaestu suo metiebatur. Quare, si certum est, hominem hunc omnium, quotquot infula Pontificia redimiti fuerunt, turpissimum, majorem in modum Pontificialem firmasse potentiam, quid, quaeso (13) naturali & prona consecutione inde colligetur?

Elogio Leoni X posito (14), finem huic capiti facit. Habuit ille sua ornamenta & naturae dotes, utrum virtutes habuerit, dubito. Helluationes ejus, religionis expers animus, mala fides, morosaque obstinatio in vulgus nota sunt. Machiavello propositum quidem non est, eum hoc nomine laudibus ornare: sed aulicae humanitatis officio fungitur, & profecto similes Principes similes merentur adulatores (15). Machiavellus laudat Leonem X; sed Ludovici XII<sup>mi</sup>, patriae suae patris, elogia refugit.

(11) magno cum judicio

(12) suae

(13) de heroibus Machiavelli statuendum?

(14) cujus fastus, crapula & religionis contemptus satis noti sunt.

(15) Si Leonem Decimum non alio, quam Principis magnifici & Instauratoris artium nomine praedicaret, factis cause haberet, sed laudat eum ut Politicum.



## C A P. XII.

Nihil non in hac rerum universitate varietate quaedam distinctum est; studia hominum & propensiones ex temperatione corporis pendentes diversae sunt, & natura eandem parit varietatem in imperiorum, si sic dicere licet, temperaturis. Temperationem regni generatim voco situm ejus, fines, frequentiam & ingenium incolarum, commercia ejus, consuetudines, leges, robur aut infirmitatem, divitias & pecuniarum reditus. Haec status publici differentia admodum notabilis imo infinita est, si quis ad minimas singula conferat particulas. Et quemadmodum medici nullam adhuc invenerunt panaceam, omnibus morbis, omnibusque corporum naturis aptam: sic Politici generales nesciunt praescribere regulas, quae usibus omnis generis imperiorum accommodari possint. Hac meditatione ad examinandam Machiaveli de externis & mercenariis copiis sententiam adducor. Eorum usum prorsus damnat auctor, exemplorum auctoritate nitens, ex quibus colligit, (1) per praesidia harum copiarum (2) populis, à quibus adscita fuerant, (3) plura detrimenta quam adjuncta importata fuisse.

Non est dubium, experientia universe id ipsum demonstrante, quin optimae gentis alicujus copiae sint domesticae & intestinae. Quae sententia confirmari posset exemplo Leonidae, acerrima pugna

- (1) quod  
 (2) populorum  
 (3) rationibus magis obsuerint, quam umquam profuerint.

na Thermopylas tuentis, & praeterea stupendis illis Imperio Romani & Arabum expeditionibus.

Hoc igitur atris politicae consilium à Machiavello propositum locum forte habuerit in omnibus illis regionibus, quae incolarum multitudine adeo abundant, ut numerum justum copiarum (4) suppeditare possint. Una cum Machiavello persuasum habeo, quod mercenariorum fides & opera non usquequaque rationibus imperii alicujus satisfaciat, (5) quodque milites conterranei ex mutuis, quibus inter se colligantur vinculis, spiritus & animos dupliciter sibi confirmari sentiant.

Inprimis autem periculi plena res est ejus, suos nulla exercitatione ad laborum bellicorum disciplinam assuefacere (6), & illo quidem tempore, quo belli molestiae & pugnae militarem vicinorum virtutem acuunt.

Ufus idem docuit, populos bello civili defunctos hostibus suis (7) longe superiores fuisse: bello enim domestico nemo non miles est. Virtus innata, licet nullo excitetur favore, sponte sua se nobilitat (8): & quicunque partibus his illis

- (4) ad se defendendum  
 (5) quodque milites fixas & stabiles in regione possessiones habentes fidelitate & virtute illis longe praestantiores sint  
 (6) patique ut mollitia effeminentur  
 (7) incredibiliter  
 (8) singula, quibus quisque habilis est, naturae munera se proferunt, hominibusque quantum arte vel animis polleant, in apertum edendi facultas datur.

Nihilominus casus quidam exceptionem ab hac regula flagitare videntur. Si regna vel majora Imperia tantam hominum multitudinem haud producant, quantum vel exercitus requirunt, vel bella consumunt, necessitatis leges ad mercenarios, tamquam



agendis dignus est & cupidus, voti sui compos fit. Ex quovis civium ordine heroës formantur, acerrimi animorum gentis concitatores. Tristis quidem haec, sed certa in bellica disciplina proficiendi ratio est. Rex sapiens alioqui bellicosam populi indolem alit, cum auxiliando rebus sociorum, tum itineribus bellicis & crebris legionum lustrationibus.

In iis tantummodo imperiis, quae terroribus ac periculis urgentur & populo fere exinanita sunt, necessario copiae externae mercede conducendae sunt.

Ceterum remedia quoque incommodis, quibus hoc militum genus laborat, levandis inventa sunt. Peregrini inter cives studiose distribuuntur, caveturque ne soli mutua inter se factione conspirent: iisdem disciplinae legibus exercentur, eadem fidelitate sensim imbuuntur: praecipua vero cura providetur, ne copiae externorum ad domesticorum numerum proxime accedant. Rex quidam est in septemtrionalibus terris, cujus exercitus hac militum permistorum varietate distinctus, ipse vero ea re nec minus potens, nec minus aliis formidolosus est.

Maxima pars copiarum in Europa patriis & mercede conductis constat militibus. Qui agriculturae operam dant, qui urbes colunt, pretio certo, unde copiae, quarum praesidio defenduntur, alantur,

ad unicam illam affectis imperii rebus opem ferendi rationem confugere jubent.

Ceterum remedia inveniuntur, maximam incommodorum partem sublevantia, & quicquid vitii in hoc militum genere deprehendit Machiavellus, corrigentia. Peregrini inter cives studiose commiscuntur ut soli mutua inter se factione conspirare prohibeantur, utque ad eandem disciplinam & fidelitatem instituantur: & praecipua cura cavetur, ne multitudo externorum domesticorum numerum superet.

zur, pro rata portione soluto, jam non sequuntur castra. Corpus militum ex vilissima populi parte coagmentatum est, ex cessatoribus otiosum magis quam negotiorum studiosis: ex hominibus dissolutis & luxuriosis, qui licentiam & impunitatem in militia sectantur: ex juventute dementes praecipiti, dicto parentum non audiente petulantique levitate nomen militiae dante. Omnes isti non majore in Principem suum studio & propensiore animi voluntate sunt, quam extranei.

Nostrae copiae quam dissimiles sunt Romanorum, quae totum terrarum orbem in ditionem suam redegerunt! Desertores isti nostra aetate omnibus in castris tam frequentes, ignoti apud Romanos fuerunt. Viris illis, qui pro familiis suis, pro Penatibus suis, pro omnibus in vita humana sibi charissimis rebus pugnabant, nunquam in mentem venerat ignave transfugiendi, ac sic una eademque opera tot ac tanta suorum & communis rei commoda perfide eludendi voluntas. Unicum quod magnos Principes ab hac parte securiores reddit, hoc est, quod omnium illorum copiae plene simillimae & geminae sibi sint: quodque hoc in genere nullus quicquam praecipui praeter ceteras relictum sit. Solae Suecorum copiae exstant, quae civium & colonorum pariterque militum nomen partesque implent. At cum in bella educuntur, in mediis regionum partibus nemo ferre, qui agros colat, superest: Ea re (9) bello longius protracto nihil valent, nisi suas magis quam hostis res destructum ire malint.

Hactenus de mercenariis. Quod ad ipsum bellum

(9) robur & potentia illorum nullum prae se terrorem ferunt, quia



li gerendi modum attinet, pedibus eo in sententiam Machiavelli.

Re vera Princeps magnus curam ducendi exercitus sui ipse suscipere debet. (10) *Exercitus ejus est regni sui sedes*: commodi sui & officii rationes, gloria sua & quid non? id negotii ei injungunt. Quemadmodum praeses est justitiae, quae in distribuendis poenis & praemiis versatur: ita non minus quoque populorum suorum (11) *defensor* habetur (12). Ex omnibus rebus administrationi suae propositis primaria haec & maximi momenti est, quam vel eo nomine nullius praeterquam suae fidei committere debet.

(13) Praesentia ejus tolluntur ducum simultates, exercitibus nimis quam funestae, ipsisque Principis sui commodis satis adversae. Principe praesente & teste rectiori ordine administrantur, quod ad frumentariam rem, ad commeatus & reliquos belli apparatus pertinent, sine quibus vel Caesar aliquis ante signa centum & mille dimicantium nihil effecerit. Sicut Princeps autor est praesentiae, sic quoque ejus decertandi ratio gubernatione Principis incumbit: ut ex aspectu & praesentia ejus robur animi & fiducia copiis suis accrescat. Nec aliam ob causam primam Princeps aciem tenet, nisi ut exempli imitationem prodat.

Di-

(10) in exercitu suo, tamquam in sede regni sui permanere

(11) praeses custos & propugnator

(12) Defensionem civium suorum tamquam primariam & maximi momenti curam sibi incumbere existimabit.

(13) Commodi sui rationes necessario postulare videntur, ut ipse praesens exercitui suo intersit, quia omnia iussa & mandata ex ejus ore emanant, adeoque & consilium & consilii executio incredibili celeritate se excipiunt.

Dicis: non quilibet homo natus aptusque est ad militiam, multi Principes nec (14) *eo ingenio* nec usu illo & imperatorio ardore pollent, ut exercitui praesse possint. Est ita, fateor, ut dicitur, (15) *At nonne periti & harum rerum intelligentes in exercitu duces inveniuntur?* Princeps modo consilia horum sequatur, bellica certe res melius succedet, quam si dux in tutelam tradatur alicorum consiliariorum, qui a castris absentes, tantum abest, ut de negotiis illis judicium ferre valeant, ut etiam peritissimo saepe duci impedimento sint, quo minus virtutis suae documenta edat. Colophonem huic capiti impositurus, phrasin quamdam Machiavelli, quae mihi monstri quid alere videtur, explicabo. Veneti, inquit, *Duci Carmignolae, copiarum suarum imperatori diffidentes necessitate magistra curaverunt, ut ex hac vita discederet.* Non capio, fateor, quid sibi velint haec; *necessitate magistra curare, ut quis hac vita discedat, nisi* (16) *saltem veneno aut fisis aliquem e medio tollere, significet.* Quibus ad tenuitatem temperatis verbis, doctor iste scelerum se affecuturum sperat, ut facinora teterrima & animadversioe dignissima culpa liberentur.

Apud Graecos in more positum erat, ut mortis mentionem facturi circuitioe quadam & verborum ambiguitate uterentur, quia non sine occulto horrore terribilia illa, quae in hac naturae dissolutione insunt, cogitare poterant. Simili

cir-

(14) ea naturae virtute

(15) Quomodocumque tamen res se habeat, parum negotii objectum argumentum mihi facesset. Nonne enim

(16) prodicione



circumlocutione scelera Machiavellus significat, quia animi pudor ingenio ejus reluctans exsecrandam, quam docuit, morum doctrinam non omnino crudam digerere potest. (17)

- (17) Tristissima hercle conditio, miserrimusque status, quum qualis sis, talem te aliis sine rubore offendere nequeas, & vel temporis punctum refugias, quo rerum tuarum rationem a te reposcas.

## C A P. XIII.

Machiavelli hyperbole fere in nervum erumpit. Principem enim prudentem copiis malle perire, quam externis auxiliis vincere, contendit.

Si quis homini ex periculo submergendi eluctanti occineret: indignam sese rem commissum iri, si aliis potius, quam sibimetipsi vitam referat acceptam: (1) ante periret, quam funem quo eripatur, ad se conjectum adprehenderet: aures miseri illius ad disputationem hanc minime paterent.

Quod Machiavelli consilium, si ad vivum referretur, forte (2) suspiciosa & vestitu quodam obdu-

- (1) adeoque potius periret, quam funem aut perticam ab aliis ad se servandum praetentam adprehenderet. Experientia nos docet, primam hominis curam esse sui conservationem, alteram vero rerum ad bene agendam vitam commoditatem. Haec sane funditus evertunt emphaticum Machiavelli paralogismum.

- (2) nihil illi deesse patebit, quod ad suspiciosam quamdam & nimiam aemulationem Principibus inspirandam non valeat. Verum enim vero haec aemulatio, qua illi ipsi Principes incensi sunt aut erga duces suos aut erga auxiliares copias, quarum opem expectare nolunt, veriti, ne has gloriae suae confortes habeant: eadem, inquam, aemulatio nonne omni ex tempore rationibus atque commodis suis maximo detrimento fuit? Infinita praelia hac ex ratione tristes

ita aemulatio, quam Principibus inspirare conatur, ei subesse deprehendetur. Jubet eos civibus suis & multo magis ducibus, maxime vero auxiliariis diffidere copiis. Quae diffidentia saepe satis perniciose fuit, compluresque Principum adversum fecerunt praelium, quod societatis foedere sibi junctos gloriae consortes esse noluerint.

Utique cavebit Princeps, ne solis auxiliatorum copiis bella gerat: ipse sibi auxiliaris erit, easque sibi comparabit vires, ut quanta sibi adjungit, tanta aliis ferre possit auxilia. Prudentiae haec dictata sunt: *Rationibus tuis sic prospicias, ut nec hostes tuos, nec amicos metuas. At si pactioibus te alicui obligaveris, conditionibus fideliter stabis.* Dum Imperii Romani, Angliae & Belgii foederati consensus adversus Ludovicum XIV<sup>um</sup> conspirabat: dum Eugenio Malborugius junctus erat, victoria penes socios fuit. Britannia autem ab iis secedente, Ludovicus XIV<sup>us</sup> illico vires recepit. Principatus, qui copiis his mixtis aut auxiliariis carere possunt, recte illas ab exercitibus suis arcent, sed quam pauci in Europa Principes ea sunt conditione? Nihil, credo, auxiliariis praesidiis periclitabuntur, donec domesticae copiae numero superiores sint.

Machiavellus instituta scriptione, minoribus operam dedit Principibus: si dicendum, quod res est, parvarum rerum cogitationes animo versare mihi videtur; nihil magni, nihil veri complectitur, quia non est vir bonus.

Quis-

tristes habuerunt exitus, minoresque aemulationes saepe numero Principibus plus nocuerunt, quam firmiores hostium suorum copiae, majoresque istorum ad agendum opportunitates.



Quisquis per alios tantummodo bella gerit, infirmus sit oportet: at qui armorum societati cum alio se conjungit, validissimus est.

(3) Expeditio illa, qua tres ex septemtrionibus reges, Carolum XII e possessionibus quarundam in Germania ditionis suae partium exturbarunt, similiter copiis diversorum Principum, foederum societate conjunctorum, perfecta fuit. Et bellum illud anno 1734 a Gallis susceptum (4) a Gallis & Hispanis, cum Sabaudis conjunctis gestum est. Quid ergo post tot exempla reliquum habet Machiavellus? Quorsum tandem recidit allegoria haec, ducta ab armatura Saulis, quam David cum Goliato congressurus ob grande pondus rejecit?

(5) *Simile vim probandi non habet.* Fateor, auxiliares copias Principibus nonnumquam incommodas esse: at, quaeso, nonne sponte molestiam subimus, si hac via urbes & provincias lucremur?

Ab auxiliariis copiis occasionem Machiavellus capit, (6) *Helvetiis stipendia in castris Gallorum merentibus, fermocinandi.* Dubium non est, Gallos auxiliis eorum adjutos non uno in praelio palmam tulisse: (7) *quorum exercitus, missione Helvetiis* &

- (3) Ne quid dicam de bello, anno MDCCI a Principibus foederatis adversus Gallias gesto,  
 (4) per speciem jura Regis illius Poloniae, semper electi, semperque regno exuti, tuendi.  
 (5) Quid turgens verborum spuma est, nisi hoc est?  
 (6) in Helvetios stipendia in castris Gallorum merentes, virum suum effundendi. Non possum non occasione harum strenuarum copiarum paucula subjicere. Nam dubium  
 (7) quodque regno huic spectatae virtutis documentis se probaverint, quodque Gallorum

& Germanis in peditatu militantibus, data, (8) *debilitarentur.*

Tantum de erroribus in judicando admittis. Jam, quibus in philosophia de moribus abripiatur, videamus. Pessima exempla, Principibus à Machiavello proposita, eam habent turpitudinis notam, (9) *ut & sanioris Politices & Morum doctrina paribus illa suffragiis damnet.* Laudat exemplum Hieronis, qui perfecta ancipiti & periculosa utrimque ratione, sive servaret, sive dimitteret auxiliares milites, in minutas cunctos partes trucidare iussit. Equidem historiae, tanta temporum longinquitate remotae, fidem praestare, tuerique non ausim: si tamen quae de Hierone II<sup>do</sup> Syracusarum rege commemorantur, veritati consentanea sint, nemini hunc imitandum commendavero. Dicitur in pugna quadam contra Mamertinos in duo exercitum suum agmina disposuisse, quorum unum externis alterum domesticis constiterit: prius hostibus conterendum objecisse, ut cum posteriore victoriam reportaret. Pro comperto habeo,

- (8) minori longe terrori, quam hodie sunt, forent.  
 (9) ut sine animadversione praetermitti non possint. Laudat exemplum Hieronis Syracusani,  
 (10) Hujus generis facta, quoties in historiarum monumentis inveniuntur, invisa fere sunt; quum vero in Libro ad instituendum Principem comparato recensita conspiciuntur, indignationem movent maximam.  
 Crudelitas & barbaries privatis saepe hominibus fatales, adeoque maximae illorum parti horrore sunt. Principes vero, quos provida Dei cura tam longe supra vulgaria collocavit fata, tanto minus aversum ab ea animum habent, quanto minor hinc sibi metus impendet. Omnibus igitur illis, ad quos populi gubernandi cura pertinet, maxime inculcanda esset aliena mens ab abusibus istis, in quos potestate nullis limitibus circumscripta ferri possunt.



beo, bello superiori anno 1701. gesto, Imperatorem Romanum simili ratione Anglos immolasse. Num vero haec satis firma Gallias seperandi ratio est? Sinistram sibi amputare, ut tanto melius dextra pugnetur, stultitiae admodum crudelis aut valde periculosa est.

## C A P. XIV.

(1) Alteram tantum muneris a Deo sibi assignati partem Princeps implet, si in sola rei bellicae administratione omnem ponat operam. Perspicue falsum est, quod solam militis personam tractare debeat: & si de origine principatus primo Operis hujus capite à nobis allata, reminiscamur, (2) *Et judices Et belli duces sunt Principes.* Machiavelli Princeps par ac similis est Deorum Homeri, qui (3) robusti & potentes, numquam

(1) Est genus quoddam pedantismi, singulis ordinibus atque artium professionibus communis, neque aliunde, quam ex avaritia & intemperis eorum, qui has tractant, oritur. Miles pedanta dicitur, cum vel minoris momenti rebus nimio plus adhaerescit, aut Thrafonem agit & Don Qvichotti familiam sequitur.

Enthusiasmus Machiavelli eo Principem hoc capite ducit, ut ridiculus habeatur: adeo namque exaggerat hanc materiam, ut non alium, quam militem unice Principem suum esse velit. Plane Don Qvichottum ex eo facit, cujus phantasia nihil aliud, quam campi pugnis destinati, munimenta castrensa, methodus urbes corona cingendi, artesque latera propugnaculorum ducendi vel invadendi occupatam teneant. Sed vero

(2) judices sunt vi originis & constitutiones suae: sed & belli duces sunt: verum haec accessio quaedam & additamentum est.

(3) valde

vero justii & aequi describuntur. (4) *Ludovicus Sforzia cur bellator tantummodo fuerit, causam habuit: imperium enim malis artibus interceptum usurpavit.*

*Machiavellus aliqui violentus, hic mihi valde remissus esse videtur. Quanam inductus causa venationem Principibus commendat? Existimat, eos hoc pacto fitum & vias regionum suarum cognitae & perspectas sibi reddituros esse. Si rex aliquis Galliarum, si Imperator Romanus hac ratione notitiam provinciarum suarum sibi comparare instituerent, venationum suarum curriculo conficiendo tantum temporis impertire debuerint, quantum in magna fiderum conversione universum coelum consumit.*

Pace lectoris locum hunc uberius & fusius tractare mihi liceat: erit haec quaedam a proposito oratione digressio, cui occasionem mentio venatus dedit. Cumque delectatione hac communiter fere ducantur nobili loco nati homines, Magnates & Reges, inprimis in Germania, res haec disquisitionem aliquam mereri videtur.

Venatio est ex numero oblectationum ad sensuum voluptatem comparatarum, quae corpus plurimum agitant, (5) *mentisque cultum negligunt.*

*Ve-*

(4) Auctor hic ipsa doctrinae de Justitia rudimenta (catechisme de la justice) ignorat: commodi tantum vias & violentiam perspectas habet.

Nullas, auctor, nisi parvarum rerum animo conceptas imagines umquam exhibet. Pro angustiis peccatoris sui ea tantum arripit, quae politicae minorum Principum arti accommodata sunt; nihil imbecillius est rationibus, quibus in commendanda Principibus venatione utitur.

(5) sed ad ingenii cultum nihil faciunt; Ardens est stultum bestiam quamdam consecrandi, & credulis eam

*ster-*



Venatores primo objicient, cum praestantissimum tum antiquissimum inter homines oblectamentum venationem esse: heroes ipsos venatores fuisse. Forte res ita sese habuerit, nec ego venationem nisi nimiam damno: quae hodie aliquot horarum delectationem affert, barbaris istis temporibus quotidiana & seria fuit occupatio.

*Ma-*stemendi voluptas; Occupatio quaedam est ad fallendum tempus comparata, qua corpus quidem robustum & vegetum redditur, ingenium autem silvescit & incultum manet.

Venatores procul dubio arguent me nimis ferii in aestimandis rebus iudicii: censoria me severitate uti; pariaque facere cum concionatoribus, qui cum soli potestatem habeant e cathedris dicendi, quaecumque bona sibi videntur, facile & interlocutionis securi pronuntiare possunt.

Equidem facultatem hujus commoditatis in rem meam haud convertam: bona fide speciosas allegaborationes, quas venationis amatores adducunt. Principio mihi venatores dicent, cum nobilissimum tum antiquissimum inter homines oblectamentum esse venationem: Patriarchas nec non plurimos maximorum virorum venatores fuisse: item, venando homines continuare exercitium juris sui in bestias, quod Deus ipse Adamo dare dignatus sit.

Verum enim vero, quod vetus, non ideo melius est, praefertim si modum excedat. Maximi viri venationis studiosi fuerunt, non nego: habuerunt vitia sua pariter & errores, a quibus sibi non satis natura humana cavet. Imitemur, quae magna in illis fuerunt, sed ex minutis illorum studiis exempla haud petamus.

Patriarchas venationi operam dedisse, verum est. Etiam fateor, forores suas in matrimonium duxisse, polygamiamque temporibus suis in usu fuisse. Sed boni isti Patriarchae dicta ratione venantes, traxerunt haec ex barbaris, quibus vixerunt, saeculis: admodum inconditi erant & in summa rerum ignorantia versabantur: ex genere erant inertium hominum, qui cum otia sua nullis rebus occupare scirent, ut tempus, quod sibi nimis longum semper videbatur, exigent,

Majores nostri cum nescirent, quibus studiis intervalla negotiorum dispungerent, conceptam animo aegritudinem, venandi voluptate fallebant: nemonum feris consecrandis perdebant otia, quia nec animus illorum tanta intelligentia, nec ingenium ea solertia fuit, ut haec in prudentium & cordatorum virorum congressibus atque colloquiis collocarent. Equidem scire velim, num exempla haec sint ad imitandum proponenda? num crassa Minerva politae elegantiae magistra, annon potius secula in clariore luce posita aliis exemplo esse debeant?

(6) Si ulla res nobis excellentiam praestantiamque reliquarum, quas agitamus, animantium conciliat, ratio certe est humana; (7) at qui omne studium suum in sola venatione collocant, saepe cogitationes suas in equos, canes, & omnis generis bestias abjectas & defixas habent. Nonnunquam duri sunt & asperi, verendumque est, ne eandem, qua bestias excipiunt, immanitatem in homines exercent, aut saltem pro consueta truculentia, qua nequicquam affecto animo feras conficiunt, calamitates suis similium miserari dediscant.

Haecine est illa oblectatio, cujus spectata & nobilitata ratio tanta verborum jactatione nobis de-

- (6) Num Adamus imperium in bestias acceperit, an minus? meum non est hoc loco inquirere: satis vero scio, nos bestiis ipsis crudeliores & rapaciores esse, imperiumque istud, quod arragamus nobis, perquam tyranniae usurpare.
- (7) At communiter fere hi, qui omne studium suum in venatu collocant, cerebrum gerunt, nullo alio adparatu instructum, quam eorum, canum & omnis generis animantium cogitationibus.



decantatur? Hocine est studium illud, animo rationis atque intelligentiae particeps tam dignum?

Dicat hic aliquis: laborem venatus valetudini salutarem, usuque comprobatum esse, eos, qui venando se exercent, longam attingere senectutem: voluptatem hanc culpa vacuum, rerumque potentibus dominus dignissimam esse, cum magnificentiam horum ob oculos ponat & aegritudinem dissipet: demum in illa belli imaginem pacis tempore exhiberi. Absit, inquam, ut exercitationem moderatam damnem: sed velim huc advertas animum, exercitationem hanc necessariam esse, sed his tantummodo, qui intemperate vivunt. Ecquis Principum longius vitam produxit, quam Cardinalis de Fleuri, Cardinalis de Ximenes, (8) *bo-diernusque* Pontifex \*, atque nemo ex tribus his venator fuit.

(9) Porro, tantine interest, ut quis vitam trahat ad aetates Methusalem, filii prae sensum stupore nihil sentientis, & aevo suo inutilis? (10) Quo plura quisque studiose cogitaverit, quo plura facinora pulcra & utilia effecerit, eo longius vixisse aestimandus est.

(11) *Venatio, fateor, speciem prae se fert magnificent-*

(8) Et proxime vita functus

\* scripta sunt haec anno 1737.

(9) De cetero, eligendumne est vitae genus, non alio merito commendans, quam quod longam polliceatur vitam? Monachi communiter fere longiorem degunt vitam, quam alii homines, ideone vero Monachorum familia sequenda est? Non id agitur,

(10) sed

(11) Ceterum venatio ex numero omnium illarum, ad otium fallendum comparatarum occupationum, quam minime Principibus convenit: magnificentiam suam cen-

*ficientiae & Principibus convenit, at quam multis aliis utilioribusque modis suum in lucem ad spectumque proferre possunt splendorem?*

Quodsi usu venerit, ut ferarum abundantia agricolae & pecuarii vexentur, cura configendarum animantium venatoribus, mercede ad id conductis, committi poterit. Principes proprie nulla re alia occupatos esse par erat, nisi cura se ad usus suos instruendi & alios gubernandi, ut tanto uberiorem rerum cognitionem sibi comparent, (12) *tantoque felicius exactam cogitationum suarum summam facere possint. Studium illorum, vitaeque occupatio haec est, ut recte de rebus cogitent & bene cogitatis congruenter agant.*

Nunc vel praecipue Machiavello respondere, venandique disciplinam, ut quis magni nominis in militia praefectus evadat, haud necessariam esse, probare lubet. Gustavus Adolphus, Turennius, Malboroughius, Eugenius, quibus palma virtutum, viros illustres peritosque belli duces decentium, minime dubia reddi potest, venationi non dederunt operam. Nec Caesarem, Alexandrum, Scipionem huic vacasse rei legimus.

Quoties quis deambulatum it, meditationes certiori iudicio & in veritate magis fundatae de diverso regionum situ, quatenus alicujus in bello momenti est, animo concipi possunt, quam cum perdices, canes aucipes, cervi & (13) *omnis generis*

centenis aliis, longeque civibus suis utilioribus modis demonstrare possunt, &

(12) veramque muneris sui notionem & intelligentiam animo concipiant, ut illi congruenter agant.

(13) caterva omnis generis animantium



*neris animantes*, nec non ipse venandi ardor mentem diftrahunt.

Magnus quidam Princeps, secunda in Hungariam expeditione suscepta, in discrimen magnum se objecit, ut parum abfuerit, quin a Turcis caperetur: venando enim à suis aberraverat. Prohibendum ab ipsis etiam exercitiis esset venandi studium, magnae enim rerum perturbationi confusioneque in itineribus ansam (14) praebuit.

Summa haec dictorum haec esto? Principibus venationi operam dantibus maximopere ignoscendum esse, siquidem ea nec nimis frequens & potius avocamentum sit ab occupationibus seriis & saepe numero fastidiosis.

Semel atque iterum profiteor, me potestatem delectationis honestae integram illis relinquere: sed bene rempublicam gubernandi, regionem ditionis suae, florentis fortunae muneribus ornandi, patrocina suscipiendi, felices omnium artium progressus spectandi cura, voluptatem procul dubio omnium maximam habet: aliam qui desiderat, ejus vicem hominis miseror.

(14) praebet.

#### C A P. XIV.

Pictoribus & Historicis hoc commune est, quod uterque naturae exempla & imagines exprimere debeat. Illi hominum lineamenta & colores, hi propriam cujusque naturam & actiones depingunt.

Inveniuntur miri quidam & singulares pictores, qui monstra tantum & stygios daemones pinxerunt. Machiavellus inter pictores hujus generis locum

locum obtinet. Orbem terrarum inferni, homines (1) *daemoniorum* specie adumbrat. Dixeris Politicum hunc (2) *genus humanum* calumniari voluisse *ex odio in universam ejus societatem concepto*, virtutisque studium (3) perditum ivisse, ut incolas omnes & atque habitores universitatis hujus sui similes redderet.

Machiavellus in eo est, ut doceat, neminem in orbe hoc terrarum tam scelerato, tam corrupto, (4) omnino bonum esse posse, quin pereat. Aio equidem, ut ne quis pereat, probitate & prudentia opus esse. *Sic enim scelerati homines te pariter metuent & venerabuntur.*

Homines, *hominumque ceterorum more reges*, communiter nec prorsus boni, nec usquequaque mali sunt. Sed & mali & boni, & medii consensu quodam ad parcendum Principi potenti, justo & rerum agendarum perito, conspirabunt. Malim bellum inferre tyranno, quam regi bono: Ludovico XI, quam Ludovico XII, Domitiano, quam Trajano. Bono enim & facili regi, bonam fortemque operam sui praestabunt: qui autem tyranno parent, meis se copiis adjunctent. Si decem millibus armatorum in Italiam profectus Alexandrum quendam *Vitum* invaderem, dimidia Italiae pars à me stabit. Si quadraginta millium exercitum ingressus fuero contra Innocentium *IIum*, omnis Italia ad parandam mihi internecionem consurget.

Bonus & sapiens rex in Anglia numquam folio suo ope

(1) damnatorum

(2) universum genus humanum & singulari quodam odio

(3) forte

(4) quale genus humanum est



ope validi exercitus deturbatus fuit, omnesque improbi Anglorum reges succubuerunt competitoribus, qui sola quatuor mille militum, ad usus bellicos exercitatorum manu instructi bellum susceperunt.

Ne igitur facinorosum inter facinorosos, sed integrum & intrepidum te inter illos praesta: populum sicut te ipsum virtutibus instrue: sic vicinis tuis exemplo, pravis terrori eris.

## C A P. XVI.

Duo celebres illi sculptores Phidias & Alcamenes, quisque pro se fingebant Minervae statuam, ex quibus pulcherrimam eligendi, & in summa columna locandi optio dabatur Atheniensibus. Utrâque in conspectu populi positâ, Alcamenis labor suffragia, altera rudius exasciatae iudicium tulit. Phidias vulgi iudicio nihil turbatus rogat, ambas in columna, cujus ornandae gratiae statuæ istae perfectae essent, collocarent. Tum vero Phidiae signum palmam accepit. Cui, quod ex sententia successerit, adjumento fuit Optices & proportionis scientia (I).

Luxus ex rerum abundantia oriens, divitiasque per omnes publicae rei venas diffundens magnum aliquod regnum florere facit. Ille industriam alit, ille pecuniosis variam rerum indigentiam affert, his-

(I) Regula haec proportionis observanda est in arte Politica: differentiae locorum differentias inferunt axiomatum politicorum. Unum ex his generaliter applicaveris, vitiosum reddideris. Quicquid regno amplo mirifice accommodatum esset, minus conveniret parvo imperio.

hisque sumtuum vinculis pauperes locupletesque copulat.

Si quis male sedulus Politicus luxum ex ampliori quodam regno exterminare instituat, regnum hoc flaccesceat. Contra idem luxus minorem regionem Principis disperderet. Aurum argentumque, si majoribus cumulibus ex regionibus exportetur, quam pro rata portione referatur, corpus hoc tenellum tabifica macie adeo consumetur, ut civilem mortem nunquam effugere possit. Regula itaque omnibus Politicis sine ulla exceptione sequenda haec est, ut ne minores principatus cum majoribus unquam confundantur; in hanc autem Machiavellus graviter hoc capite peccat.

Primum, ob quod castigationem meretur, facinus hoc est, quod *liberalitatis* vocabulum significatione nimis vaga & late patente usurpat: non satis distinguit liberalitatem a prodigiorum effusione. Princeps, ait, res magnas gesturus avarus existimari debet. Mea vero sententia liberalis & haberi & esse debet. Nullus mihi heros, quin talis fuerit, innotuit. Avaritiam prae se ferre nihil est aliud, quam hominibus dicere: *De me nihil vobis pollicemini, malam vobis laborum vestrorum mercedem tribuam.* Quid est naturalem illum, quo quisque civium ad operam suam Principi navandam inflammatur, ardorem extinguere, nisi hoc est?

Haud dubie solus ille liberalitatem exercere potest, qui rem familiarem recte administrat: solus ille, qui prudenter facultatibus suis prospicit, benignus & beneficus in alios esse potest.

Quemquamne praeterit exemplum Francisci I<sup>mi</sup>, Galliarum regis, in cujus immoderatos & nimios sumtus afflictæ fortunæ suæ culpa conferri potest.



test. (2) Rex hic non liberalis sed prodigus erat, at paulo ante mortem tenacior factus. Cum enim ad rem suam attentus esse deberet, thesauros in cistas coniecit: verum enim vero non thesauri steriles, nec quidquam negotiando lucrantes, sed amplius simul reditus *cum thesauro* comparandi sunt.

Quilibet sive privatus, sive rex sit, si non alium, quam coacervandi aut defodiendi argenti usum calleat, nihil his in rebus sapit: ut vere dives evadas, curabis, ut pecuniae perpetua quaedam accipiendi & expendendi vicissitudine commutatae auctiores recipiantur. Mediceorum gens supremum in Florentina regione principatum non obtinisset, nisi Magnus ille Cosmus, Patriae Pater, olim tantum mercator, intelligens & liberalis vir fuisset. Unusquisque avarus angusti & parvi est animi, & mea sententia Cardinalis de Retz haud stulte pronuntiat: *In magni momenti negotiis rationem argenti non magnopere habendam esse.* Reges itaque rem suam ita constituent & conficiant, ut multas opes (3) paratas & promptas habeant: commercii & (4) *industriæ* civium suorum si faverint, multos inde, si usus venerit, sumtus facere poterint: omnes aequè amantes ac observantes sui habebunt.

Machiavellus dicit, liberalitate Principem in contemtionem adductum iri, quæ sane foeneratoris, non hominis praecepta Principibus tradere ausi vox est.

*Princeps, (fas sit ita loqui) similis est coelo, quotidie*

- (2) Deliciae ejus, reditus gloriae suae necessarios absorberunt  
 (3) sibi adquirent  
 (4) opificiis

*tidie terrarum orbem rore vel pluvia sua respergenti: juges & inexhaustos harum fertilitati terrae destinatarum aquarum fontes habenti.*

## C A P. XVII.

Omnium, quæ (1) Principi credita sunt, depositorum pretiosissimum est vita civium suorum. Muneris, quo fungitur, ratio potestatem ei facit, fontes vel capitis condemnandi, vel impunitos dimittendi. (2)

Boni Principes ita secum reputant, ut jus illud (3) vitae & necis in cives suos, gravissimum coronæ suæ pondus inesse intelligant. Norunt, humanitatem sibi cum illis, in quorum caput quæstionem habent, communem esse: nec fugit eos, (4) *cetera injuste facta reparari*, capitale vero rei, præcipiti mortis sententia condemnati, supplicium corrigi non posse. Severitatem animadversionis non sumunt, nisi ut atrocitatem tristiores, quam (5) prospiciunt, evitent: (6) *moremque sequuntur hominis, qui partem corporis gangraena infectam secari patitur.*

Ma-

- (1) manibus Principis  
 (2) Supremi sunt arbitri Justitiæ.  
 (3) tam jactatum  
 (4) vexationes, injuste facta, injuriæ in hac vita si aliter se gesserint.  
 (5) Tam tristis sententiæ consilia nunquam suscipiunt, nisi in desperatis rebus & tali casui similibus, quo quis, non obstante teneriore erga semet animo, tamen de parte quædam corporis sui, quam gangraena infectam sentit, ita secum constitueret, & eam secari patiatur: nempe ut recisione hac doloris plenissima asserat & conservet reliquum corpus. Tam graves, tam serias



*Machiavellus res tanti momenti, parvi pendit.* Vita hominum ejus sententia nullo in numero habetur: commodum autem, solum illud, quod adorat, nomen, ipsi omnia est. Crudelitatem praefert clementiae, & nuper admodum summa imperii potestis auctor est, ut opinionem hominum de crudelitate sua magis quam alius quisquam contemnant.

Machiavelli herosa ad regium folium efferentes, eodemque positum tuentes, carnifices & tortores sunt. Politico huic exempla crudelitatis quaerenti, portus & refugium est Caesar Borgia. Machiavellus aliquos ad haec recitat versus, quibus Didonem Aeneadis se purgantem facit Virgilius: atqui haec auctoritas ab hoc alienissima est loco. Maro enim eadem in persona Didonis fermocinatione utitur, qua \* *recentior quidam poeta* (7) *Jocastam in Oedipo* (8) *ornat.* Ipse poeta his personis sermonem tribuit dignitati cujusque convenientem. Non itaque a Didone, non ab Jocasta, sed ab exemplis (9) *peritorum* & virtute inclutorum hominum auctoritas petenda est.

Politicus noster ante omnia severam in copias disciplinam commendat. Indulgentiam Scipionis asperitati Hannibalis opponit, Romanoque poenae praefert. Atque hinc est vestigio conficit, crudelitatem principium impulsioneque esse boni in exercitu ordinis, disciplinae, atque adeo triumphorum.

Fide mala agit (10) Machiavellus, Scipionem, om-

\* Cl. Voltairius. (duabus in Edd. defecta haec fuerant)

(7) non nemo

(8) Tragedia

(9) summorum

(10) hac occasione

omnium, quod ad disciplinam attinet, ducum solutissimum eligens, ut eum cum Hannibale contendat, (11) *crudelitati*que patrocinetur.

Fateor, severitate neglecta nullum in exercitu ordinem constare posse: quo enim pacto coererentur intemperantiores in omne licentiae genus homines, helluones, scelérati, ignavi, temerarii, vasta immanium corporum mole horribiles, nisi metu poenarum in officio retinerentur. Moderatio unice est, quam in Machiavello hac in parte desidero. Sicut clementia vir honestus ad bonitatem fertur, ita sapientia ad severitatem non minus impellitur. Quo in genere par illi ratio est cum perito navis gubernatore, neque enim malos aut funes navis suae ante praecidit, quam (12) *vi tempestatis* cogatur. Occasiones dantur, quibus se vehementem severumque, nunquam autem crudelem praebere oportet: equidem die pugnae à militibus meis amari, quam timeri praepro.

*At Machiavellus rículos suos nondum exhaustit:* venio in praesentia ad captiosissimum ejus argumentum. Principem rationibus suis melius consulere, ait, si terribilem potius quam amabilem se praestet: quia major hominum pars ad ingrati instantisque animi vitium (13) proclivis est (14) &c.

Do,

(11) severae asperitati

(12) praesentissimo periculo, cui procellarum & tempestatum vi exponitur

(13) dissimulationem, ignaviam, avaritiam

(14) quia amor sit vinculum obligationis, malitia & humili levitate generis humani admodum infirmum factum: cum ex contraria parte formido poenae longe certius de populi fide & officio polliceatur. porro: quia in hominum arbitrio benevolentia horum, non iidem metus; Principem igitur, qui prudentia va-



*Do, ingratos reperiri: metum certis quorundam temporum momentis validissimum esse, nec id nego. Id vero affirmo, regem quemcunque, cujus politicae arti nulla alia proposita est ratio, quam ut sui terrorem aliis inferat, (15) vilibus imperatorum esse mancipiis: nihil magni negotii de civibus suis polliceri sibi posse: singula (16) metu perfecta impressa motus sui semper servasse vestigia: Principem (17) gratiae sibi colligendae peritum ipsis imperatorum esse animis, cum cives sua, quod huic pareant domino, interesse videant: in historiarum tandem monumentis magno numero magnorum pulcrorumque facinorum, ab amore & (18) fidelitate profectorum exempla occurrere. Addo, (19) morem populi ab imperio desciscens nostra aetate, plane (ut videtur) exspirasse. Praeter Angliam nullum se nobis offert regnum, in quo minus causae; quare sibi a populo suo metuat, Rex habeat: nec adhuc quidquam ipsi timorem facere, nisi tempestatem ipse sibi concitet. Ex his colligo, majori prodicionis periculo Principem crudelem quam clementem se exponere: crudelitas enim intolerabilis est: timorem brevi tempore lassitudinem afferre, bonitatem autem semper amabilem esse, neminemque amando defatigari.*

Igi-

let, potius eo, quod suae, quam quod alienae facultatis est, niti debere. Non nego, homines ingratos & dissimulatores inveniri; non nego severitatem quibusdam temporum momentis utilissimam esse.

(15) ignavis hominibus & mancipiis

(16) timiditate

(17) dico

(18) sanctissimae fidei vinculis,

(19) seditiones &

Igitur commodo generis humano exoptandum esset, ut Principes boni, nec tamen aequo indulgentiores essent: ut bonitas illorum semper virtutis, nunquam errati vecordiaque nomen tuateatur.

## C A P. XVIII.

Principes dissimulationum artificiis hominibus ponere & errorem objicere posse, praeceptor hic tyrannorum audeat affirmat: hinc vero eum explodere instituat.

Quem praeterit, quam curiosa sit communis hominum multitudo? Animal est omnia oculis lustrans, omnia auribus captans, omnia ore divulgans. (1) Quae populi curiositas in mores privatorem si inquirat, otii suaviter consumendi gratia id agit: de studiis autem & propensionibus Principum iudicium faciens, proprii commodi rationibus ducitur. Hoc itaque pacto Principes magis quam cuncti alii (2) iudiciis hominum expositi, sideribusque, (3) quae Astronomi observant, similes sunt. Aula singulis diebus notationibus suis atque animadversionibus indulget, unicus oculi eo conjectus, unicus ad spectus, unicus gestus Principes prodit: populus autem conjecturis ad latebras eorum accessus facit. Ut verbo dicam, quam parum

(1) quae vel oculis vel auribus percepit.

(2) fermunculis &

(3) quibus quidam Astronomorum populis obvertit tubos opticos suos, & astrolabia. Aulici, a quibus observantur, quotidie notationibus atque animadversionibus suis incumbunt.



rum Sol maculas suas tegere, tam parum vitia sua (4) celare magni possunt Principes.

Tametsi personata dissimulatio naturalem Principis deformitatem aliquandiu coöperiret, tamen personam hanc continue sustinere non poterit. Nonnunquam eam attollit, si non alia, respirandi saltem gratia: unica vero occasio curiosis jam, quod quaerunt, satis (5) exponit.

Artificium igitur hoc (6) frustra in labiis Principis hujus fixam habebit sedem. (7) Non verbis suis aestimantur homines, (8) sed actiones illorum inter sese comparantur, demum actiones & sermones illorum conferuntur: adversus (9) istam rationem mendacium & dissimulatio nihil unquam valitura est. Nulli commodius quam propriae servimus personae, ipsaque res, cujus nomen & titulum quisque sibi tribuendum postulat, vere subesse debet. (10).

Sixtus V, Philippus II, Cromvellus communi hominum judicio (11) novarum rerum studiosi, nunquam virtutis amantes existimati sunt. (12)

Ma-

(4) & penitus recessus indolis suae coram tot speculatorum oculis

(5) exponere potest

(6) & dissimulatis

(7) Callida in sermonibus & actionibus ejus astutia ipsi inutilis erit

(8) hac via quotidie quilibet sibi inponeret.

(9) examen hoc iteratum

(10) Quodsi aliter se res habeat, ipse animi falsus erit, qui homines dolis eludere cogitat.

(11) hypocritae

(12) Quantacumque Princeps intelligentia praeditus sit, si vel cuncta politica Machiavelli artificia sequatur, nunquam virtutis, cujus expertus est, nativum colorem tribuere poterit vitiis, quae sibi propria sunt.

Machiavellus non sanius disputat de rationibus, quibus Principes ad fraudis & simulationis studium excitari debant. Ex ingeniosa sed falsa accommodatione fabulae de Centauro nulla ratio concluditur. Nam, quod Centaurus altera parte hominis, altera equi formam habuerit, efficitur inde, Principes versutos & feroces esse oportere? Incredibili profecto flagitiorum disciplinam tradendi studio flagret necesse est, qui tam enervata longiusque petita adferat argumenta.

(13) Politicus hic Principibus leonis & vulpeculae mores commendat, (14) hincque patescere concludit, *Principem ad promissa servanda nulla fidei religione obligari* (15). *Portentosa mehercule! conclusio! Vulpes & lupi sunt in silvis: Princeps igitur fraudulentus erit!*

Si quis omnino probitatis bonique sensus lumen perplexis his Machiavelli cogitatis mutuari vellet, illa quidem proxima forte via sic inverti possent: Vita humana similis est ludo, in quo boni pariter ac fraudulentus collusores (16) inveniuntur. Princeps ista ludendi societate implicatus ne decipiatur, perspectam habebit praestigias & dolos in ludo commoliendi rationem, non ut artificiosae istius disciplinae praecepta unquam exerceat, sed ne benignam sui deludendi materiam aliis suppeditet.

Re-

(13) Sed ecce argumentum adhuc stolidius eo, quod vidimus.

(14) Leonis, ut se tutum praestet a lupis: vulpeculae, ut callidus sit.

(15) En tibi conclusionem sine praemissis. Nonne hunc sceleris magistrum pudeat sua improbitatis praecepta tam titubanter effutire?

(16) qui dolos intendunt



Redeamus ad hiantem & abruptam Politici nostri orationem: *Cum omnes, inquit, & singuli homines improbi sint, & quovis temporis momento datam tibi fidem fallant, tu quoque non magis ad liberandam eis fidem tuam obligabere.* Primo velim consideres, quam repugnantia doceat auctor. Paulo post enim subjicit: dissimulatoribus simplices credulosque, quos decipiant, homines defuturos esse nunquam. Quomodo haec sibi respondent: Omnes homines improbi sunt, & nunquam non simpliciores, quibus imponas, homines invenies?

Falsissimum praeterea est, universitatem generis humani ex solis improbis constitam esse. Plane Misanthropus sit oportet, qui animadvertere nequeat, multos omni in societate viros reperiri bonos, multitudinem ceteram vero nec bonam nec malam esse. Enimvero, nisi Machiavellus pro certo sumisset, universos homines improbitate inquinatos esse, quoniam fundamento nefandum hoc axioma ejus niteretur?

Etiamsi tot scelerum maculis contaminati, quam Machiavellus contendit, mortales esse fingamus, minime tamen mores eorum imitandos esse, hinc sequeretur. Cartouchius latrocinia, rapinas, caedes facit: colligo hominem hunc infausto fidere natum supplicio afficiendum, non vero animum meum ad consuetudinem moresque ejus impellendum esse. *Honestas & virtus* (Carolus dixit Sapiens) *inter homines si esse desissent, vestigia tamen illarum apud Principes reperiri deberent.*

Probata improbitatis necessitate auctor in eo est, ut facilitate, qua exerceri potest, proposita, suis quoque discipulis animum addat. *Artem simulandi ac dissimulandi qui bene callent, inquit, simpliciores statim, qui se decipi patiantur, invenient.* Quae ver-

verba huc redeunt: Vicinus tuus fatuus est, tibi cor sapit. Ergo hic tibi decipiendus erit, quia fatuus est. Ratiocinationes hae ipsae sunt, ob quas homines in Machiavelli ludo docti patibulo suffixi aut Esquilinam ante partam crurifragio excarnificati sunt.

Politicus noster, morem suum in disputando sequutus non satis habet facilitatem perfidiae demonstrasse, nisi porro etiam perfidiae prosperitates commodasque res indicet. Hoc solum tamen indignissimum videtur, quod Caesar Borgia, sceleratorum facile primus, homo post homines natos perfidiosissimus, Caesar iste Borgia, heros Machiavelli, gravissimos fortunae casus (17) subiit. Diligenter mentionem ejus hac occasione declinat, (18) exemplis vero opus erat; unde illa expromeret, nisi ex nomenclatura quaestionum capitalium, aut ex (19) Neronis aliorumque his similibus hominum historiis?

Alexandro VI. homini aetate sua fallacissimo & improbissimo, fraudes suas nunquam non ex sententia successisse, asserit, quia credula & contra fallendi artem parum cauta hominum ingenia penitus perspecta habuit.

Equidem affirmare ausim, non adeo hominum credulitati, quam casibus non nullis, singularibusque rerum & temporum momentis tribuendum esse, quod Pontificis istius consilia tam faciles haberint exitus: horum in numerum (20) Gallorum & Hispanorum, alternis studiis primas sibi

(17) vere

(18) Machiavellus

(19) Pontificum malorum &amp;

(20) in primis



vendicantium aemulatio, nec non diffidia atque mutua principum in Italia familiarum odia, (21) vecors item Ludovici XII<sup>mi</sup>. inertia referenda videntur. (22)

Dolus etiam politicorum stilo & dicendi formula vitio datur, si nimis intendatur. Cujus assertionis auctorem profero magnum (23) *regis consiliarium & administrum* Ludovicum de Haro, qui Cardinalem Mazarinum grandem soloecismum politicum admittere dixit, quod semper fraudulentus sit. Eidem Mazarino, illustris Fabri opera in negotio sordido & scabioso usuro, laudatus Faber respondit: *Veniam, vir maxime, dabis mihi, provinciam fallendi Sabaudiae ducem defugienti, tantoque dabis facilius, quod parvi momenti res sit; Integram viri boni famam habeo. Reserva igitur probitatem meam occasione cuiquam, qua ipsa Galliarum salus agetur.*

Non jam loquor de boni viri officiis, nec de virtute: sed ipsis Principum commodis rem simpliciter aestimans ajo, artificium hoc politicum, fraudibus & hominum ludificatione utens, ipsa ex Principum parte pessimum esse. Semel omnino eludunt alios, sed eo ipso faciunt, ut nemo omnium Principum illis confidat.

(24) *Terrarum potentes domini nonnumquam, quas in bello suscepto sequantur rationes, in \* clarigationis tabulis exponant, sed omnia prorsus contra, ac*

(21) animi perturbationes &

(22) quae non parum momenti huc adtulerunt,

(23) Politicum

(24) Quidam terrarum potens dominus in clarigationis tabulis suscepti consilii sui rationes exposuit, sed postea e diametro contraria fecit.

\* Manifest.

promulgata fuerant, fieri, usus saepe docet. Hae (25) atque aliae notabiles & apertae circumductiones, omnem benevolentiae fiduciam plane abalienant. Quanto maturior enim inter verba & facta discrepantia intercedit, tanto crassior est. Ecclesia Romana repugnantiam similem evitatura haud stulte cavet, ne quis ante in divorum recipiatur numerum, quam centenos a morte annos in novitiorum manium ordine expleverit: videlicet ut hoc pacto memoria (26) *admissi pro communi fragilitate dedecoris secum exspiraret.* Cumque vitae illorum conscii & testes, qui forte intercedere possent, rebus humanis exempti sint, nihil (27) *apothroesi illorum* moram atque impedimentum infert. (28)

Ceterum fateor, casus quosdam vel invito Principi pacta & foedera dissolvendi necessitatem imponere: ita tamen a societate ista recedet, ut ne simul a viri boni dignitate discedat; consilium suum mature sociis, semperque ante denuntiabit, quam ad extrema res pervenerit, nisi forte hic salus populi & summa aliud suaferit necessitas.

Corollarii instar unicam huic capiti adjiciam observationem. Advertas, amabo, te Lector, infelicem vitiorum sub manu quasi Machiavelli se propagantium, fertilitatem. Regi profano & religionum contemptori auctor est, ut aversum a facris animum fucatae pietatis coronamento ornet. Vulgus enim nec iniquissima, qua vexatur, acerbitate

(25) fateor

(26) vitiorum suorum & a recti tramite secessionum

(27) commento Sanctitatis, cujus fidem opinioni populari facere student,

(28) Sed venia mihi fiat hujus digressionis.



bitate adeo exacerbari, quam religiosa Principis in colendis ceremoniis diligentia capi atque mulceri posse censet. Sunt, scio, qui cum Machiavello faciant: de meo sensu ut eloquar, erroribus, in nuda rerum contemplatione haerentibus, siquidem nullam animi labem morumque corruptelam in societatem trahant, (29) *quamdam indulgentiam tribui posse*: Principemque scepticum, cetera honestum & publicae felicitatis studiosum, prae scelerato & malefico Orthodoxo a populo iri amatum. Non enim cogitationes sed actiones Principum beatos efficiunt homines.

(29) semper tribui indulgentiam.

#### C A P. XIX.

Inferus ille, singula in gyrum systematis ducendi pruritus, tantum abest, ut Philosophorum nominatim familias tanquam praecipua & singularis stultitia tenuerit, ut etiam Politicos vexaverit. Machiavellus, si quis alius, nimis ea laborat: Probare vult Principem & turpem & fraudulentum esse debere. \* Summa capita, & praecipua elementa haec sunt religionis suae. In Machiavello omnes omnium ab Hercule perdomitorum monstrorum foeditates inveniuntur, robur vero & vires illorum non insunt: clava igitur Herculis, qua percutiatur, opus non est. Quid enim antiquius, quid naturae, quid Principibus ipsis convenientius est justitiae & bonitatis studio? Operam perdere mihi videretur, qui ad probandum hoc omnem argumentorum adparatum effunderet: Po-

\* *propositiones sacramentales.*

liticus iste, eo ipso, quod in contrariam disputat partem, (1) *exploditur*. Si enim regia sede stabilis Princeps ex consilio Machiavelli crudelis, fraudulentus, proditor &c. fuerit, suo sibi plane detrimento sceleratus erit. Idem Machiavellus, si Principem regnum occupantem dictis vestiatur atque ornet vitiiis, ut alienam, quam usurpat possessionem, sibi firmet: consilia sane illi suggerit, reges omnes & liberarum civitatum populos in caput ejus concitatura. Quo pacto enim ad regium fastigium homo privatus sibi adscensum parabit, nisi vel regem provinciis ditioni suae subjectis exuat, vel regnum in republica occupet? Talibus vero rebus Principes Europae aures obstruunt. Machiavellus, si syntagma fallaciarum in usum furum & sicariorum scripsisset, librum praesenti opere ad turpitudinis infamiam insigniorem compilare potuisset nullum.

Interim ad calculos revocandae sunt falsae quaedam, quae hoc in capite occurrunt commentationes. Quae Principem in odium omnium adducant, haec esse Machiavellus contendit, si injuste civium suorum bona rapiat, uxoremque pudicitiae crimen intentet. Utique Princeps locupletando solum fisco intentus, injustus, violentus, crudelis, (2) *detestabilis erit*: sed non eadem semper est ratio voluptatis amatoriae. Julius Caesar, quem *omnium mulierum virum*, & *omnium virorum mulierem* appellarunt Romae; Ludovicus XIV, qui multas deperit uxores; Augustus, Poloniae rex, (3) *Principes hi, inquam, amorum, quibus flagrabant,*

- (1) necessario igitur inferior discedet  
 (2) non poterit non odio esse & populis suis invisum se reddere.  
 (3) cui haec cum civibus suis communes erant



bant, nomine invisi non fuerunt. Quod Caesar necatus sit, quod Libertas Romana tot strictis pugionibus ventrem ejus trajecerit, ideo factum est, quod Caesar reipublicae oppressor, non item quod mulierosus fuit. Machiavelli sententiam propugnaturus objiciat mihi fortassis reges Roma pulsos, quibus violata Lucretiae pudicitia exsilii causam dedit. Respondeo: non Tarquini Junioris in Lucretiam amori, verum violentae voluptatis hujus explendae rationi tribuendum est, quod populus Romanus occasionem motuum hinc arripuerit. Praeceptus iste furor, cum animos populi revocasset ad memoriam ceterorum violentiae a Tarquiniis commissae exemplorum: acrius atque serio tunc ad ulciscendas injurias suas incubuerunt. Quid? si tota haec narratio Eroticum sapiat commentum?

Hactenus dicta nolim ita accipi, quasi amatoriae rei causam agam: ad morum leges & disciplinam examinata mala videri poterit: mihi vero sola haec cautio proposita est, ne quis culpae loco odiosum populi in reges animum in eum conferat. Amores Principum inter vitia virtutibus affinia veniaque digna referuntur, si quidem nulla cum injuria conjuncti sint. Amoribus opera datur exemplo Ludovici XIV, Caroli II. Britanniarum regis, Augusti, Poloniae regis: sed nec (4) Lucretiae vis inferatur, nec Pompejus occidatur, nec Uriae exitium paretur.

Venio ad Machiavellum, diserte, ut mihi videtur, contraria ponentem. Principem popularem & gratiosum apud cives suos esse jubet, ut conspirationes evitet. At capite XVII. Principis prae-

(4) Neronis neque Davidis ratio imitanda est

praecipuam curam in hoc versari dixerat, ut sui metum populo injiciat: quia tunc rebus ex semetipso aptis & pendentibus confidere possit, cum aliter se res habeat in amore populi. Utra jam ex his vera est auctoris sententia? Lingua Oraculorum utitur, utramvis verba ejus admittunt interpretationem. At lingua Oraculorum, ut quasi praeteriens dicam, impostorum lingua est.

Generatim hac occasione dicere visum est, conjurationes & insidiosas caedes hodie vix committi. Principes ab hac parte facti recti sunt. Scelera haec inveteraverunt, & exagitata sunt ex mortali societate: rationesque, quas Machiavellus adfert, bene se habent (5). *Sola ad summum fanaticorum intemperies superest, quae tam execrandum committere ausit facinus.*

Inter bonae frugis observationes, quas Machiavellus, facta conspirationum mentione, addit, una eademque optima est, quae tamen ore ejus contaminatur: *Conjurator*, inquit, *suppliciorum sibi minacium cogitatione vexatur: Reges autem Majestate imperii, & auctoritate legum sancti & tuti sunt.* Politicus hic praeceptor leges ingratiis laudat, quippe qui priva solum commoda, crudelitatem, despoticam potestatem, & imperii alieni usurpationem insinuat (6).

Ma-

(5) Solus ad summum fanaticus furor Ecclesiasticorum quorundam superest, qui scelus hoc ex mera lymphatica intemperie profectum, omnino tamen execrabilissimum committere possit.

(6) Machiavellus paria facit cum adversariis Pontificiorum. Argumentis gentium a religione Christiana alienarum armati prodeunt ad profligandam transformationem, quam Catholici in S. Coena peropugnant. At iisdem vicissim argumentis, quibus Catholici dictam



Machiavellus adeo Principibus suavor est & auctor, ut populi gratiam sibi colligant, eaque re sibi temperent, nec magis Magnatum quam vulgi benevolentiam sibi concilient. Nec ratione caret illud consilium, quo, quae alterutrius ordinis odium in se convertere possint, deonerare & in alios trajicere, ideoque magistratus, qui plebem inter & Magnates iudices sint, constituere suadet. Cujus rei exemplar laudat Gallici imperii administrationem. Homo, hic nimio plus despoticae potestati, nefariaeque alieni imperii usurpationi amicus comprobatur hic potentiam, qua summae curiae Patres in Galliis quondam polluerunt. Quodsi ulla imperii administratio invenitur, cujus sapientissima instituta nostris temporibus exemplo proponi possint, mea quidem sententia, quodque sine invidia & obprobriatione aliarum dictum sit, Britannica erit regiminis ratio. Hic Procerum consilium arbitri inter populum & regem locum tenet, regique libera bene, non item malefaciendi potestas data est.

Machiavellus porro ingreditur ad excutiendas fuses lateque Imperatorum Romanorum vitas, inde a Marco Aurelio usque ad ducos Gordianos. Causam tot vicissitudinum commutationumque inde repetit, quod Imperium venale fuerit; verum sola causa haec non est. Caligula, Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius, funesta perierunt morte, licet, quod Didius Julianus fecit, Romam mercati non fuerint. Venalitia tandem haec conditio majorem trucidationi Imperatorum cau-

etiam metamorphosin defendunt, utuntur in certamine adversus gentes sacris Christi non initiatas.

causam addidit: caput autem & vera horum tumultuum origo in ipsa imperii constitutione latuit. Praetorianae cohortes similes evaserunt iis, qui postea Mameluci in Aegypto, Janitzari in Turcia, Strelitzii in Moscovia fuerunt. Constantinus prudenter cohortes praetorias dimisit: verum tristitia imperii fata vel sic rectores illius sicariorum & veneficorum manibus objecerunt.

Hoc unum duntaxat hic notabo, malos Imperatores violentam oppetiisse mortem: at Theodosius fuit, qui in lecto suo naturae satisfacit: Justinianus exstitit qui beatam per quatuor & octoginta annos vitam exegit. Videsne in quo etiam atque etiam insistam? vix inveniuntur Principes mali prospera fortuna defuncti, nec Augusto res ante tuta & tranquilla fuit, quam virtutem colere coepisset. Tyrannus iste, Commodus, Marci Aurelii, divini illius Principis successor, tametsi parentis sui memoriae omnis honor & cultus haberetur, tamen occisus fuit. Caracallae, quo minus se tueretur, crudelitas obstitit. Alexander Severus in conspiratione à Maximino Thracio, qui Gigas habebatur, conflata oppressus est. Maximinus ipse, qui omne mortalium genus barbara immanitate sua adversus se concitaverat, vicissim interfectus est. Exitium ejus Machiavellus tribuit humili quo natus fuit & ob quem contemptui habitus sit loco; in eo valde errat Machiavellus. Homo, quem strenua animi virtus ad summam imperii extulit, nullos jam agnoscit parentes, potestas ejus, non generis conditio spectatur. Puppianus patre natus fuit fabro quodam pagano: Probus olitore: Diocletianus servo: Valentinianus restione: singuli culti & honorati fuerunt. Sforzia, qui Mediolanum occupavit, agricola fuerat.



rat. Cromvellus, qui Angliam sibi subjecit, & terrorem Europae injecit, (7) *vulgaris ordinis civis*: Magnus ille Machumed, (8) *florentissimi* in toto terrarum orbe *imperii* conditor, mercatoris famulus: Samon, primus Slavoniae rex, negotiator Gallicus: celebris ille Piaſta, cujus (9) *nomini* tanta inter Polonos reverentia habetur, cum rex eligeretur, pedes ligneis adhuc calceis suis adstrictos habuit: carus & praecipuo honore cultus (10) *ad centesimum* vitam produxit *annum*. Quot exercituum duces, quot regum amici & administri, quot \* *Tabulario regio praefecti* plebejo loco nati fuerunt! Quibus ut abundat, sic non nihilo beator est Europa, quod honores dicti meritis ipsis delati sint. Non haec ita dicta velim, quasi aliis, sanguinem a Witekindis, Carolis Magnis, Ottomannis trahentibus, quidquam detractum velim: quin multis de causis tantum heroum progeniem amore prosequendam censeo: ego vero merita magis, quam sanguinem amo.

Silentio hic praetereundum non est, egregie falsi Machiavellum, quando tempore Severi satis jam Principi ad sese tuendum & sustentandum fuisse arbitratur, si lenem ac facilem militibus se praebuerit. Historia Imperatorum longe aliud docet. Quo quis indulgentior in Praetorianos, nullius disciplinae patientes, fuit: eo facilius istius potentiae in se sitae vim agnoscebant. Utraque ratio, sive blanditiis delinirentur, sive etiam re-

(7) mercatoris filius

(8) florentissimae religionis

(9) adhuc

(10) ad longam annorum seriem

\* *Chanceliers.*

primerentur, aeqve periculosa & anceps fuit. Nobis hodie a copiis nostris nihil metuendum, univrsae enim in manipulos & legiones disjunctae sunt, quarum alteram altera observat & custodit, quia nempe reges ipsi singulos militaris dignitatis gradus unice singulis tribuunt, sanctiorque legum auctoritas constituta est. Quid est, quod Turcarum Imperatores tam crebro strangulationis periculo expositi sunt, nisi quod arcanum hoc imperii nondum in usus suos converterunt: Turcae mancipia sunt Sultani sui: Sultanus autem phalangis suae, quae Janitzae constat. In Europa Christianis habitata Principis interest, ut omnes eorum, quibus imperat, ordines aequabiliter bene tractet, sublato discrimine, ex quo aemulationes, commodis suis perniciosae, nascuntur.

Exemplum itaque Severi, ad cujus studia institutaque homines imperium sibi molientes impellit Machiavellus, plane tam pestiferum & nocens est, quam commoda & salutaris esse poterit illorum ratio, qui se ad similitudinem Marci Aurelii totos tingunt. At quo pacto Severus & Caesar Borgia una cum Marco Aurelio exempli loco proponi possunt? id quidem est sapientiam illibatae virtuti junctam cum detestabilissima scelerum sentina confundere. Finem huic capiti facturus non possum non semel atque iterum inculcare, quod Caesar Borgia una cum versuta crudelitate sua exitum exitialem habuerit; Marcus vero Aurelius, Philosophus regia corona illustris, semper bonus, semper virtutis amans ad extremum usque diem vitae tristem florentis fortunae vicissitudinem expertus sit nunquam.



## C A P. XX.

Prisca gentium religio Janum ancipiti mirandum imagine ob oculos posuit, cognitionem ejus, cum praeteritorum memoria, tum futurorum providentia perfectam & absolutam significatura. Imago hujus Dei si per allegoriam explicetur in Principes apte quadrare videtur. Nempe & hi ad similitudinem Jani in rerum gestarum monumentis à tergo respicere debent omnes ante actas seculorum aetates, quae salutaria morum & officiorum suorum praecepta sibi subministrant: Idem Jani exemplo, ventura quoque à fronte prospicient, solertia nimirum & viribus ingenii sui, hinc ad excogitandas rerum sub eandem rationem cadentium comparationes uberis, illinc ad eventus rerum ex praesentis status contemplatione, quam si oculis subjicerentur, colligendos, acuti.

Quinque Machiavellus Principibus quaestiones proponit: his pariter, qui regiones nuper in ditionem suam redegerunt, & illis, quos regnandi ars suas solum possessiones firmis muniri praesidiis jubet. Videamus num meliori consilio juvet rebusque rectius caveat prudentia, quae cum futuris praeterita contendit, nihilque non ex rationis & justitiae praescriptione definit.

Prima quaestio haec est: Utrum Princeps subactae vi & armis provinciae demere arma, an relinquere debeat?

Semper reputandum est, quantum post Machiavelli tempora belligerandi ratio immutata sit. Praesidia quae Principes in regionibus suis, ad retinendos in fide populos, collocant, copiis ad bellicae disciplinae leges exercitatis, sive majores, sive in-

fir.

firmiores sint, constant. Armata rusticorum manus spernitur & pro nihilo habetur. Quodsi in obsidione urbis, cives arma non nunquam capiunt, obsessores id vetant: utque coerceantur, \* pyrobolis cum fragore dissilientibus, aut globis ictum fulminis aemulantibus terrentur. Ceteroquin sane prudentiae est, captae urbis cives ab initio saltem armis exuere, praesertim si a parte illorum non omnia satis tuta sint. Britannia in ditionem Romanam redacta, cum propter turbulenta & bellicosa populi hujus ingenia, pacata & tranquilla retineri non posset, potior visa fuit Romanis ratio eos effeminandi, ut Martius hic & ferox instinctus mitigaretur. Quod consilium Romanis ex sententia successit. Corsi, manipulus hominum, aequae strenui & consilio prompti ac Britanni, non alia, credo, ratione domari poterunt, nisi prudentia & bonitate. Regium in hanc insulam imperium factum rectum conservaturus, immutabili quadam necessitatis lege incolis arma eripere, moresque ipsorum emollire cogetur. Quia in mentionem Corsorum casu incidi, quasi praeteriens moneo, exempla horum docere, quos animos, quantam virtutem libertatis amor mortalibus suggerat, quamque periculosum & iniquum sit eam opprimere.

Alteram quaestione Machiavellus disputat de Principe, novae regionis victore & domino, utri civium sibi subjectorum fidei se credere debeat? istisne, quorum ope & opera in possessionem venit, an vero illis, quorum constans in Principem suum justum & legitimum fidelitas existit.

Urbe per conscios & civium nonnullorum prodicione capta, imprudentissime quis ageret, si pro-

\* du bombardement & des boulets rouges



ditoribus se crederet, quos temetipsum prodituros esse, credibile est. Contra qui suam pristinis dominis fidem probarunt, spem similis in praesentes reges suos fidelitatis faciunt. Ut plurimum enim hujus generis homines prudenti sunt ingenio, qui domicilium stabile, fortunaque suas in ea regione collocatas tenent, quibus bonus ordo in deliciis, novae quaecumque res odio sunt. Cavendum tamen, ne quis temere cuiquam se committat.

At ponamus eam temporum conditionem, ut populi oppressi & ultima necessitate ad excutendum Tyrannorum suorum jugum adducti alium Principem ad imperii sui gubernationem deposcerint; hic sane, meo iudicio, Principis erit, fiducia illorum in se cum certa spe collocatae & testatae respondere; qua occasione, si spem falleret eorum, qui rem rerum suarum pretiosissimam fidei ejus commiserunt, (1) *in crimen hominis ingrati, potentiae & gloriae suae funestum incurreret.* Gulielmus, Arausionensium Princeps, amicum & de sua in se fide persuasum animum ad extremum usque spiritum iis conservavit, qui clavum imperii & gubernacula Britanniarum manibus ejus crediderant: quotquot autem illi adversati fuerant, patria valere iussa regem Jacobum sequebantur.

Inter populos, penes quos est regis eligendi optio, ubi pleraeqve ea factionibus pendent electiones, soliumque regale, quicquid contra dicitur, venale habetur, eadem, credo, facilitate postea Princeps, quam electus est, hos qui contra se fecerant, pretio mercabitur, qua illorum,

(1) indignissimis istis ingratae mentis technis & circumductionibus certissimam ignominiae labem memoriae suae adspargeret.

a quibus lectus fuit, favorem sibi conciliaverat. Exempla ejus rei Polonia nobis suppeditat, in qua regia dignitas tam (2) saepe venum it, ut nundinatio haec quasi publice & in foro fieri videatur. Regio in Polonia liberalitas, omnia quae obstant & impediunt, de via submovet. Majorum gentium vires Palatinis dignitatibus, Satriis & aliis, quos ipse defert, honoribus sibi devinciendi potestatem habet. Uti vero (3) *hominum* memoria ad beneficiorum recordationem minime diuturna, ita saepius gratia horum renovanda & instauranda est. Uno verbo, Respublica Polonorum similis est Danaidum dolio. Vel magnificentissimus Rex sua in eos beneficia inani effuderit opera, numquam expleverit. Quomodo cumque res se habeat, cum Rex Poloniarum multa commoda & beneficia tribuere possit, crebro fututibus ille suis consulere poterit liberalitate ad eas dumtaxat occasiones reservata, quibus familiarum, quas locupletat, opera indiget.

Tertia Machiavelli quaestio proprie pertinet ad securitatem Principis in regno hereditario, concordiamne an dissensiones inter cives suos alere praestet? Quae quidem disquisitio locum forte habere potuit Florentiae, majorum Machiavelli aetate. Hodie, opinor, a nemine Politico (4) *nisi* temperamento quodam mitigata adoptatur. Mihi satis erit laudasse bellum tamque decantatum Menenii Agrippae Apologum, quo populum Romanum rursus conjunxit. Civitates liberae nihilo minus mutua inter membra sua studiorum diffidia

(2) manifeste & palam  
(3) Polonorum  
(4) tam cruda nulloque



quodammodo fovere debent; nisi enim altera pars alteram speculetur & custodiat, respublica in regnum se convertit.

Principes invenias, qui dissensionem consiliariorum suam interpretantur utilitatem, credunt se ab eis minime deceptum iri, qui mutuis concitati odiis sese invicem observant. Verum, fac, odiorum istorum hunc esse fructum, alium simulque nocentissimum pariter proferunt. Istis enim regii consilii administris, qui sociata opera Principi suo inservire debuerant, usu venit, ut studiis sibi aegre faciendi abrepti, continue obstant sibi atque officiant, materiamque privatarum offensionum in rebus ad commoda Principis & salutem populorum pertinentibus quaerant.

Viribus adeo atque nervis regni alicujus nihil conducit magis, quam intima & non dissolubilis omnium membrorum suorum compactio: ad cujus firmamentum omnia sua sapiens Princeps consilia referet.

Quae ad tertiam Machiavelli quaestionem respondendi, ad quartum ejus problema explicandum facere quodam modo possunt. Interim disquiramus, & tribus, quod ajunt, verbis disputemus, numquid Princeps factiones adversus semetipsum fovere, an gratiam civium suorum colligere debeat?

Monstra monstris debellandis procreat, quisquis inimicitias inimicitiis superandis suscipit. Naturae, rationi, atque humanitati convenientius est, amicos sibi adjungere. Felices sunt Principes, qui suavitates amicitiae sentiunt, feliciores autem, qui amorem & benevolentiam populi emerentur.

En tibi ultimam Machiavelli quaestionem; num sci-

scilicet Princeps propugnacula aut civitatibus imminencia castella habere, an vero solo aequare debeat?

Credo me sententiam meam cap. X. aperuisse, ad minores quod attinet Principes: jam videamus, quomodo rem suam reges hic gerere debeant.

Tempore Machiavelli orbis terrarum communi quodam, aestu effervescebat: intemperante seditionis & defectionis cupiditate ubique regnante, nihil nisi factiones & tyranni conspiciebantur. Tumultus crebri & continui castella in editis urbium partibus extruendi necessitatem Principibus attulerunt, ut turbulenti incolarum spiritus horum praesidio continerentur.

Seculo hoc barbaro exacto, cum vel mortales ipsi fatietate mutuae internecionis defatigati, vel etiam regibus potestas, despotico imperio propior, in populos suos facta essent, ne fando quidem tot seditiones & rerum conversiones audiuntur. Spiritus istos turbarum cupidos, ex fati tumultuandi labore, ad quietem revocatos confedissem dixeris: adeo, ut arcibus hodie suburbanis ad praestandam (5) populi fidelitatem opus non sit. Alia vero ratio est arcium exaggeratis munimentis firmatarum, quibus nos adversus hostium incursionem tutamur, & tanto certius tranquillitati regionum prospicimus.

Exercitus & bene munita propugnacula parem atque eundem Principibus usum adferunt. Quos enim exercitus hostibus suis opponere, eosdem adverso praelio fugatos, propugnaculis circumvallatis, machinisque pyrobolis praetextis, salvos conservare possunt: & obsidio, qua propugnaculum

(5) urbium & terrarum



lum hoc ipsum hostis cingere parat, dat spatium illis, ad sese reficiendum & ad colligendum novas vires, quibus satis tempore contractis ad solvendum hostilem obsidionem uti possunt.

Proxima in Belgio Austriaco-Gallico bella, Caesarem inter & Gallum gesta, quantumcunque se moverent, nihil fere promovebant, multitudine scilicet arcium munitarum belli cursum morante: praelia centum mille armatis (6) depugnata unius duarumve urbium occupatio excipiebat. Subsequente expeditione pars adversa, spatium damnæ reparandi nacta, de novo prodiit, jamque superiori anno acta & decisa in disceptationem revocabantur. In regionibus magna munitarum urbium copia instructis, exercitus, duorum miliarium spatiosos campos implentes, per triginta annos bellum trahent, & si secundo rem Marte gesserint, decem miliarium tractus viginti praeliorum pretio redimetur.

In planis & apertis regionibus fors unius pugnae aut duarum expeditionum de fortuna victoris decedit ac statuit, illique tota subiecit regna. Alexander, Caesar, Gengisckamus, Carolus XII. gloriam suam acceptam referebant paucitati munitarum urbium iis in terris, quas occupabant. Victor Indiarum toto gloriosarum expeditionum suarum cursu duas tantum obsidiones suscepit. Arbitrator Poloniarum plures molitus est numquam. Eugenius, Villarius, Malboroughius, Luxemburgius magni exercituum duces fuerunt: sed artes munitæ splendori rerum à se prospere gestarum obstruebant. Galli satis compertam habent hanc propugnaculorum utilitatem. Inde a Bran-

(6) contra centena hominum millia

bantia usque ad Delphinatum duplicis quasi cæternæ serie munitæ continuantur urbes. Fines Gallici, quæ Germaniam spectant, aperto & hianti leonis rictui, geminum dentium minacium ordinem ostentanti omniaque deglutire (7) parato similes sunt. Maximum munitarum urbium usum hæctenus dicta satis superque demonstrabunt.

(7) adparentis

C A P. XXI.

Caput hoc Machiavelli, quædam bonæ, quædam nullius frugi continet. Primo errores Machiavelli retegam, tum bene & cum laude dicta confirmabo, deinde sententiam meam super quarundam rerum momentis, ipsa natura sua ad hanc materiam pertinentibus, aperiam.

Auctor initio proponit Ferdinandi Arragonii & Bernhardi Mediolanensis mores & instituta, exempli loco illis sequenda, qui altioris momenti coeptis, & raris extraordinariisque factis excellentis viri famam sibi comparare volunt. Admirabilitatem rerum agendarum quærit Machiavellus in prompta ad res moliendas audacia, & in rapida ad exsequendum destinata celeritate. Magna, fateor, hæc: laudabilia tamen non aliter sunt, nisi pro rata justitiæ portione, quam coepta ejus, qui in alienas possessiones irruit, præ se ferunt.

„ Tu, qui te gloriaris ad latrones persequen-  
 „ dos venire, (legati Scytharum Alexandro dixe-  
 „ runt) omnium gentium, quas adisti, latro es.  
 „ Omnes, quas occupasti terras, expilasti & de-  
 „ populatus es. Si Deus es, tribuere mortalibus

G

be-



„ beneficia debes , non sua eripere. Sin autem  
 „ homo es , id quod es , semper esse te cogi-  
 „ ta. ”.

Ferdinandus Arragonius simplici bella gerendi ratione non semper contentus erat , sed religionum involucris & quasi velis obtendebat consilia sua. Sacramentorum fide abutebatur , cumque justitiam numquam non in ore haberet , injustissima quaevis patrabat. Laudat in eo Machiavellus , quae illi exprobantur.

Secundo loco exemplum Bernardi Mediolanensis allegat Machiavellus , ut Principibus eam praemia poenasque reddendi rationem insinuet , quae insolita sit , omniumque in se oculos convertat , ut omnes illorum actiones impressas quasdam potentiae notas contineant. Generosi Principes in iis , quae ad existimationem suam pertinent , sibi non deerunt : in primis , si liberalitas sua ex magnanima indole , non ex philantropia proficiscatur.

Bonitas (1) majorem gloriae laudem sibi , quam ullae virtutes aliae , parere possunt. Cicero apud Caesarem verba faciens : *Nihil , inquit , habet nec fortuna tua majus , quam ut possis , nec natura tua melius , quam ut velis conservare quamplurimos cives.* Poenas igitur , quas Princeps infligit , semper offensam minores : praemia autem , quae reddit , officii & meritis numquam non majora esse oportet.

At vide , quae , quae contraria & pugnancia à Machiavello dicantur. Capite hoc Politices magister Principes (2) pactis suis stare jubet : sed cap XVIII. disertis verbis fidei datae religione eos sol-

(1) mentis suae  
 (2) suos

solvit. Paria facit cum fatidicis vitae cujusque interpretibus , qui hoc album , illud atrum appellant.

Quam prave Machiavellus de singulis , quae modo diximus , differit : tam recte agit de prudentia , quae Principes sibi cavere jubentur , ne temere rationibus suis adjungant Principes sese superiores , a quibus , cum auxilio levati debuerant , opprimi possint.

Exploratum id habuit magnus quidam in Germania Princeps , cujus apud amicos aequae ac inimicos magna existimatio fuit. Regiones ejus pervagabantur Sueci , cum longius hinc toto cum exercitu suo profectus , Caesari ad Rhenum inferiorem , belli molem contra Gallias sustinenti , opem ferret. Nuntio irruptionis tam repentinae allato consiliiarii Principi huic suaserant , magnum Russiae Ducem in subsidium vocaret. Princeps dictus , sagacior amicis , respondit : Moscovitas similes esse ursis , ex catenis minime solvendis , quia ne non catenae rursus illis injici possint , verendum sit : Magno itaque animo curam sui ulciscendi ipse suscepit , nec erat , cur sui se consilii poeniteret.

Venturum si agerem saeculum , partem capitis hujus animadversionibus quibusdam , ad hanc rem facientibus , auferem. Sed meum non est , mores & agendi rationes hodiernorum Principum judicare , nec in vita humana loquendi & tacendi tempora nosse opus non est.

Materia de neutro & medio inter duas sibi adversas partes statu aequae bene atque altera , de Principum cum potentioribus societate , tractata est. Experientia a longe remotis jam docuit temporibus , Principem neutram conditionem sequentem ,



injuriis utriusque bella gerentis partis regionem suam exponere: fines imperii sui Martis theatrum fieri, mediamque istam viam semper detrimenta adferre Principi, nulla spe solidi fructus, quem hinc lucretur, relicta.

Duae sunt rationes, quibus res Principis se atollere potest: altera constat occupatione regionum, quando Princeps bellator viribus armorum suorum fines, dominationi suae subiectos, longius profert: altera constat bona rerum administratione, cum Princeps industrius operam dat, ut in populo suo omnes artes, omniumque doctrinarum scientia floreat, quibus & potentiores & cultiores redduntur terrae.

Totum hunc Machiavelli librum disputationes, de priori res suas augendi ratione, obsident: differamus paucis & de altera, quae majori innocentia, iustitia, utilitate etiam pari se commendat.

Artes in vita communi maximae necessariae numerantur Agricultura, Mercatura, Opificia. Quae ingenium humanum magis nobilitant, sunt: Geometria, Philosophia, Astronomia, Eloquentia, Poësis, Pictura, Musica, Sculptura, Architectura, Chalcographia, & quidquid liberalium artium nomine venit.

Quemadmodum maxima omnium inter se differentia est regionum, ita aliarum robor & nervia agricultura, aliarum in vindemiis, aliarum in opificiis, aliarum in commerciis consistunt. Est quoque regio, quam artes istae simul beant.

Reges, mitem hanc & amabilem vires novas sibi acqvirendi rationem sequentes, nihil habebunt antiquius, quam ut conditionem & statum regionum suarum ante omnia studiose explorent, intelligantque, quatenam ex dictis artibus omnium ap-  
tiffi-

tiffimae terris suis ad efflorescendum, adeoque praeter ceteras excitandae & fovendae sint. Galli & Hispani commercia sibi deesse animadvertentes rationes secum de Britannis suppressendis inierunt. Si res ex voto successerit, Gallia robor & vires majores inde sibi accedere sentiet, quam ex viginti urbium ac mille pagorum armis quaesita possessione. Britannia autem & Belgium foederatum, pulcherrimae & dictissimae in toto terrarum orbe regiones, aegri extabescentis instar, antequam sentirent, perirent.

Regiones, quarum divitiae agrorum & vinearum proventu continentur, ad duas res attentiores erunt: Prima cura erit, ut quidquid novalium agrorum incultum jacet, sedulo profcendant, ut vel minima terrarum pars in quaestum & foenerationem transferatur. Altera haec est, ut callide exputent, quomodo & majori copia & pluribus in locis sua divendant: item, quo pacto merces istas quam minimis transportent sumtibus, & leviori pretio divendere possint.

Ad Opificia quod attinet, utilissima forte & omnium quaestuofissima regioni esse videntur: quia rebus ad cultum victumque, nec non luxum incolarum pertinentibus, necessaria sufficiunt. Sic, ut & finitimi ipsi tributum industriae tuae pendere debeant. Opificum industria, hinc pecuniarum e regione exportationibus, impedimento: illic alienarum opum invectioni adjumento est.

Semper mihi persuasum fuit, tot stupendas ex septemtrionalibus terris migrationes Gothorum Vandalorumque, qui tam saepe australes inundarunt regiones, aliqua ex parte acceptas referendas esse artium, quas opifices exercent, defestui.



Temporibus illis tam longe a memoria nostra remotis, in Suecia & Dania, nec non maximis Germaniae partibus, praeter agriculturam aut venerationem nulla aliarum artium nota fuit. Terrae, in quibus agricolarum cultus elaborare potuit, distributae & peculii jure possessae fuerunt incolis, quorum certus & definitus numerus fuit. Hi colebant illas & victum inde sibi acquirere poterant. Sicut autem stirps humani generis in locis, frigidae coeli temperationi subjectis, ex omni temporum memoria fertilissima fuit: ita quoque usu venerat, ut altero tanto major incolarum copia, in regione aliqua enata, agriculturae emolumentis se sustentare non potuerit. (3) *Inopes igitur rerumque egeni*, tanquam ver sacrum egressi, necessitate duce, latrones fiunt illustres, terras alias vastant, & incolas atque habitatores e possessionibus exturbant. Nec fere Barbari isti in Orientali aut Occidentali Imperio aliud quid postulasse leguntur, quam campos, ex quorum cultura alimenta sibi pararent. Septemtrionales regiones hodie non minus, quam olim multitudine abundant: at cum rerum ad vitae cultum pertinentium indigentia (4) *felix* incrementum ex luxuria coeperit, locum simul habere coeperunt opificia, omnesque hujus generis artes, totos jam populos sustentantes, quos alioqui necessitas ad victum alibi quaerendum adigeret.

Istae igitur rationes, quibus regionis prosperitas proposita est, Sapientiae regis creditae sunt tamquam fors talentorum, quae ut foenori dentur & ad lucrum revocentur, ad curam ejus pertinet.

(3) Et hi nobili loco nati

(4) sapientissime

tinet. Indicium certissimum regionis, sapienti & felici rerum gubernatione beatae hoc est, quando nempe in sinu atque gremio ejus bonae enascuntur artes. Flores hi sicut pingui solo & coelo clemente oriuntur, ita siccitate & duro Aquilorum afflatu laesi moriuntur.

Nulla res alia regnum aliquod illustrat magis, quam artes in apricis ejus jugis floescentes. Saeculum Periclis non minus ingenii magnis, quae Athenae foverunt, quam pugnis ab Atheniensibus tunc editis nobilitatum fuit. Tempora Augusti praeclarius innotuerunt Cicerone, Ovidio, Horatio, Virgilio &c. quam proscriptionibus crudelis hujus Imperatoris, qui vel sic magnam estimationis suae partem lyrae Flacci debet, Aetas Ludovici XIV. celebrior est Corneliis, Raciniis, Moliereis, Boilaviis, Cartesiis, Bruniis, Girardoniis, quam trajectu Rheni, tot laudum artificii exaggerato, vel obsidionibus, Ludovico teste susceptis, aut praelio ad Augustam Taurinorum, ejus exitum prosperum Marfinius literis e cubiculo regis allatis Duci Aurelianensi e manibus eripuit.

Ipsam humanitatem reges ornant, quoties singulari quodam honore & praemio eos decorant, qui illam prae ceteris bene merendo honestant, quique altioribus ingenii in perficienda rerum cognitione elaborantibus, & studia sua veritatis cultui dicantibus, animos atque stimulos addunt.

Beati sunt reges, qui & ipsi has doctrinas colunt, & cum Cicerone, Romanorum Consule, patriae suae liberatore, & Eloquentiae patre sic sentiunt: „ Literarum studia adolescentiam agunt, senectatem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, dele-



„ Etant domi , non impediunt foris , pernoctant  
 „ nobiscum , peregrinantur , rusticantur , semper  
 „ & ubivis vitae nostrae ad jucunditatem condu-  
 „ cunt. ”

Laurentius Medices , Italici nominis facile prin-  
 ceptus , patriae suae pacificator & literarum instau-  
 rator vixit. Probitatis laude communem Princi-  
 pum omnium favorem benevolentiaeque fiduciam  
 sibi conciliavit ; & de Marco Aurelio , inter ma-  
 ximos Romanorum Imperatores numerando , in-  
 certum est , utrum felicior bellator , an sapientior  
 Philosophus fuerit ? Is morum Philosophiam ita  
 perceptam habuit , ut praeceptis ejus ad vitam  
 agendam , Sapientisque , quod prae se ferebat ,  
 nomen tuendum religiosissime uteretur. Coronidis  
 loco haec adponamus verba : „ Regis , Justi-  
 „ tiam ducem sequentis , templum est Orbis ter-  
 „ rarum ; flamines & sacerdotes sunt boni & ho-  
 „ nesti viri. ”

## C A P. XXII.

Principes in terrarum orbe duplicis sunt gene-  
 ris. Quidam propriis omnia oculis vident , re-  
 gionesque quas tenent , per se ipsi gubernant.  
 Alii in bona fide consiliariorum suorum acquies-  
 cunt , sui que moderandi & regendi potestatem  
 illis permittunt , qui auctoritatem sibi in mentes  
 eorum compararunt.

Reges prioris ordinis sunt velut anima imperio-  
 rum suorum : moles rerum gubernandarum in cer-  
 vicibus suis innixa cohaeret , sicut mundus in hu-  
 meris Atlantis. Negotia domi pariter ac foris  
 expedienda ordinant. Supremorum in jure dicen-  
 do magistratuum , ducum exercitibus praeposito-  
 rum ,

rum , Quaestorumque & summorum gazae Prae-  
 fectorum primas simul sustinent partes. Exem-  
 plum sequuntur aeterni numinis , coelestium & ab  
 intelligentia \* dictorum animorum opera ad iussa  
 sua exsequenda utentis : sibi que adjungunt perspi-  
 cacia & industria ingenia , quae propositorum suo-  
 rum rationes ad exitum perducant , eaque sigilla-  
 tim & exactius perficiant , quae ipsi per se gene-  
 ratim atque universe conjiciendo excogitaverunt.  
 Consilii sacri administrari instrumenta proprie sunt  
 manu sapientis hujus & artificiosi (1) Opificis tra-  
 ctata.

(2) *Alterius ordinis reges , quos provida & rerum  
 consultrix natura iisdem ornamentis dotibusque locuple-  
 tare noluit , damna haec delectu felici rependere possunt.  
 Rex satis bene valens , cujus membra non minus firma*  
 &

\* *Intelligentes*

(1) *magistri*

(2) *alterius ordinis reges , cum vel ingenio destituti sint ,  
 vel naturali sensuum stupore laborent , lethargico  
 quodam communis & indifferentis animi torpore  
 quasi immergi sunt.*

Si res imperii ex inbecilla Principis indole labaf-  
 cant , adeoque vivida solertia atque sapientia consi-  
 liarum alicujus sustentari debeant , Princeps jam simu-  
 lacro & inani , sed necessariae formae similis erit :  
 nam speciem majestatis prae se fert. Nec alia voto-  
 rum pars hic locum habet , nisi ut felix sit in felici-  
 gendo.

Non tam prompta & expedita , ut forte quis cre-  
 dat , Principi est ratio perscrutandi indolem eorum ,  
 quorum opera in administrandis negotiis uti vult.  
 Quanta enim facilitate privati homines coram iis ,  
 quibus parent , fingere & obtegere se possunt : tanta  
 vicissim Principibus obijciuntur impedimenta , quo  
 minus interiores pectoris sui recessus coram oculis  
 populi dissimulent.

Porro , si Sixtus V. septuaginta



Et vegeta, quam apta & habilia sunt ad exantlandum operosos in cubiculo sanctiori labores, discedit ab officii sui partibus, si primum rerum gerendarum administrum sibi legat. At Princeps dictis naturae muneribus indotatus, nec suis nec populi sui rationibus satisfacere videtur, nisi omnem, quatuoracumque ea sit, ingenii vim intendat ad eligendum virum sapientem, cui onus, nimio ipsum dominum suum pondere pressurum, imponat. Non cuius dotes illae datae sunt: quilibet autem dummodo velit, tanta certe rerum discernendarum atque dijudicandarum facultate instructus erit, ut eas in aliis agnoscere, agnitasque in usus suos convertere possit. Quae scientia in mortalium societate communior est, quam calliditas facultates ingenii & captum aliorum hominum satis celeriter internoscendi? mediocres poene opifices de maximis artificibus rectissime iudicare videas. Plebs gregalis militiae ultima, quanto aestimandi sint praefecti sui, intelligit. Maximis status publici administris pretium suum constituit scribarum & apparitorum famularis turba. Quare hebeti admodum acie rex sit oportet, si eorum, quos muneribus praeponeat, ingenia distinguere nequeat. Ad non tam facile unoque velut obtutu, quam late probitas illorum pateat, perspicere licet. Rudis & indoctus homo ignorantiam suam dissimulare nescit, sed animus fallax satis diu imponere potest regi, quem quanti sua interest, ut decipiat, tantis quoque artificiis animum ejus obsessum tenet.

Nonne Sixtus V. duo & sexaginta Cardinales, quibus non poterat non notus & perspectus fuisse, fefellit? Quanto minori negotio privatus aliquis obstructionem paraverit oculis Principis sui, cui nulla diligentius eum pernoscenti occasio data fuit.

Princeps intelligens facile ingenium & captum ho-

hominum operam sibi navantium dijudicabit: at numquam fere assequi poterit, ut, quam fideles quamque a proprii commodi studiis sinceri integrique sint, quidquam certi statuatur.

Videas saepe homines probitatem quandam prae se ferre, quia nullas ementitam speciem deponendi occasiones nacti fuerant: qui tamen periculo probitatis suae facto, nuntium honestati remisisse inveniuntur. Tiberii, Neronis, Caligulae non antea male audiverunt Romae, quam ad summam imperii dignitatem ascendissent, & fortasse scelerata illorum improbitas compressa & sine effectu mansisset, nisi occasio qua in actum erumperet, unaque seges ac materia sceleratae suae indolis se diffunderet, oblata fuisset.

Homines inveniuntur, qui iudicio intelligenti, ingenio versuto & sagaci ceterisque naturae ornamentis animum nigerrimis vitiis infectum, & ingratiissimum jungunt: alios rursus (3) bona nempe & ingenua indole conspicuos reperias.

Quod ad internas regionum partes attinet, Principes prudentiores eam in conferendis muneribus & procurationibus rationem ineunt, ut iis, quos bonae mentis virtutibus praestare vident, primas tribuant. In rebus autem cum exteris tractandis alios rursus, qui callidiori sunt ingenio, praeferrunt. Cum enim id solummodo agitur, ut rectus retum ordo & iustitiae cura in regionibus suis conservetur, honestas animi ei rei jam sufficiet. At si vicinis populis fides facienda, aut clandestina eorum artificia detegenda sint, minus errabit, qui non

(3) omnibus bonae mentis dotibus



non adeo probitatem quam solertiam & altiores sensus hic requiri dixerit.

Peruasum habeo, fidelitatem hominum, qui, quae velle Principem, quaeque ad Principem pertinere arbitrantur, studiose diligenterque curant, numquam satis ab isto compensari posse. Inest quidam iustitiae sensus in nobis, ad referendam gratiam nos sollicitans, cui obsequi fas est. Ceterum omnino e re principum virorum est, ut tanta generosi animi liberalitate beneficia remunerentur, quanta clementia vindicaverint maleficia. Principum amici, si senserint virtutem instrumento sibi fore ad fortunam suam amplificandam, minime ad flagitia confugient, & ipsa natura duce beneficiis regis sui exterorum corruptelas & largitiones postponent.

Via iustitiae & seculi huius sapientia in hoc quidem negotio perfecte inter se convenient & congruent: nec minus inconsulta quam dura est eorum ratio, qui, remuneratione & liberalitate praecclusa, tempus quaerunt, in quo fidem & studia consiliariorum cum periculo experiantur.

Alii Principes alio, sed aequae periculoso trahuntur errore; infinita levitate variant & mutant consiliarios & vel minimos officii numeros praetereuntium peccata nimia severitate castigant.

Regii administrati, quorum labor & muneris functio in ore atque oculis Principis posita est, numquam errata sua ita prorsus dissimulare poterunt, quin a Principe perspiciantur, praesertim si per aliquod tempus id muneris sustinuerint: quo perspicacior Princeps est, eo facilius ea deprehendit.

Reges, qui Philosophi non sunt, subito stomachan-

chantur, inpotentioresque sunt, quam ut hominum sibi operam navantium erratis ignoscant: ipsos ex amicorum numero excludunt, exitio dant.

Principes qui altius sapiunt, homines penitus perspectos habent: norunt singulos impressam humanae conditionis notam prae se ferre, nihil in natura rerum omni ex parte perfectum esse, magnas animi dotes quadam (ut sic dicam) aequilibritate magnorum vitiorum exaequari, cati autem ingenii homini, quicquid in rem suam est, undique excerpendum esse.

Qua propter, sola praeveraricatione excepta, consiliorum socios & ministros una cum bonarum & pravarum dotium congerie servant, novisque, quorum copia forte est, satis cognitos & exploratos praeferunt. Peritos propemodum Musicos imitantur, qui fidibus & tibiis, quarum virtutem & defectus callent, canere praeoptant, quam novis, quarum praestantia sibi incognita est.

## C A P. XXIII.

Nullus, qui vel morum philosophiam vel rerum gestarum monumenta exponat, liber invenitur, quo non Principum, communi circa assentionem errore labentium, culpa satis aspera perstringatur censura. Reges veritatem colere, auresque suas, ut vacuae huic pateant, assuefacere jubent, in quo non errant. Verum insuper quaedam nonnihil disjuncta atque contraria, more communi hominum, postulant. Philautiam bene magnam in Principibus requirunt, ut gloriam ament, magna faciant facinora: simul vero tam leni & communi sint animo, ut de mercede & pra-



praemio laborum suorum haud inviti concedant. Idem principium & ad promerenda & ad contemnenda laudum praeconia eos excitare debet. Vide quanta ab humanitate postulentur! Equidem fati honorifica illis est haec hominum opinio, qui Principes debere semetipsos magis quam alios in potestate habere, tacita existimatione persuasum habent.

*Contentus virtutis ex contentu famae:*

Principes, quos nulla existimationis suae cura tetigit, vel animum omni affectione & sensu vacuum habuerunt, vel voluptarii & mollitiae mancipati fuerunt. Similes erant massae vilis materiae, quam nulla virtus animavit. Tyranni crudelissimi (quis neget?) laudis amore flagrabant: in istis vero haec fuit odiosa quaedam vanitas, novum praeter cetera vitium, famae atque existimationi studebant opprobria commerendo.

Apud Principes vitiosos assentatio mortiferum est venenum, quod semina corruptae eorum indolis multiplicat. Apud Principes bene meritos assentatio rationem habet ferruginis, gloriae illorum adhaerentis, & splendorem ejus imminuentis. Vir intelligens adulationi crassae resistit & repugnat, adulatorem ineptum repudiat.

Alius quoque generis datur adulatio; haec partes agit Sophistae vitiorum; vita nempe Rhetorica arte sua extenuat, perturbationibusque animi argumenta subministrat. Austeritati titulum justitiae tribuit. Inter liberalitatem & profusam luxuriam tam perfectam similitudinem excogitat, ut titubet ac haereas, helluationes praetextu animi se oblectantis & tempus fallentis ornat, vitia pra-

praecipue aliorum omni ratione exaggerat, ut Herois sui erratis tropaeum erigat. Maxima hominum pars aures faciles dat huic assentationi, quia gustui illorum accommodata comprobatur, nec omnino ementita narratur, & quo pacto, quae, asperiores se praebere possint vera, quorumque optime sibi ipsi conscii sunt, bona de se praedicantibus? Assentatio solido constituta fundamento omnium subtilissima est: iudicio admodum acuto opus est ad perspicendam picturam textilem, qua veritatem induit. Regi, in expugnandis urbibus occupato, non dabit comites poetas, qui in enarrandis ejus virtutibus historicorum partes agant: non componet Prologos theatri apparatui aptos, hyperbolicisque turgescens: non Praefationes insulsas, non Epistolas adrepentes. Non obstupefaciet heros tumidis victoriarum suarum recitationibus: sed ipsam formam & tamquam faciem ex animo sentientis sibi assumet: aditus faciles parce & molliter sibi servabit, omnia germana & nativa in illa adparebunt. Quomodo hic vir magnus, quomodo heros, quomodo Princeps intelligens difficili aure accipiat veram laudem, quae vivo amici ingenio & ore excidisse videtur? Ludovicus XIV, cum vel solo oris & vultus sui habitu homines externari sentiret, mireque hac majestate sibi placeret, num succensere potuit veterano cuidam militum praefecto, qui ad verba regis se alloquentis, corpore tremuit, lingua titubavit, medioque sermone haesitans: Rex, inquit, non ita in conspectu hostium tuorum contremisco.

Principes, qui homines fuerunt, antequam reges constituti essent, recordari secum, qui fuerint, possunt, nec tam facile assentationum alimen-



mentis affuescent. Qvi vero per omne vitae tempus regnarunt, semper ture ad Deorum similitudinem enutriti sunt, exinanitione, si laudes defecerint, morituri.

Aequiviores adeo, ut mihi videtur, se praebuerint, qvi regum vicem potius dolent, quam ipsos condemnant. Adulatores, nec hi adeo, quam calumniatores publico digni sunt odio & condemnatione: sicut & omnes illi, qvi fatis inimico erga Principes animo veritatem illis dissimulant. Sed laudes hic ab adulatione distingui velim. Trajamus ad virtutis cultum Plinii Panegyrico excitatus, Tiberius in vitiis Senatorum assentationibus obfirmatus fuit.

## C A P. XXIV.

Fabula Cadmi, qvi, mortalia semina, dentes serpentis a se victi sparsit humi, ex quibus gens bellicosa, quae suo Marte per mutua vulnera cecidit, progignebatur: speciem & formam Itolorum tempore Machiavelli Principum adumbrat. Perfidiae scelera & prodiones, quibus alter alterum vexavit, res eorum pessum dederunt. Legatur historia Italiae, res seculi quartidecimi ad finem vergentis & quinti decimi incipientis complexa: nihil occurret, nisi crudelitatis, seditionum, violentiae exempla, conspirationes in perniciem mutuam, temerariae alienarum possessionum occupationes, caedes sicariorum ministerio illatae, verbo, immensi flagitiorum acervi, quorum cogitatio sola horrore mentem perfundit.

Si quis exemplo Machiavelli animum induceret justitiam & humanitatem evertere, summa rerum in terrarum orbe sursum deorsum ferretur: criminum

num exundantium diluvio, rerum, quae omnia continentur, universitati vasta rursus solitudo brevi tempore inferretur. Quid causae fuit, quare Principes Italiae imperia & regiones suas perdiderint, nisi ipsa barbaries sua cum iniquitate certans? Quotquot igitur ea sunt stultitia ut prava haec Machiavelli principia sequantur, erroris huius poenas certissima pernicie sua dependent.

Nihil dissimulo; ignava timiditas quorundam Italiae Principum una cum turpificati animi foeditate utramque forte in exitio illorum paginam fecit. Fraetas regum Neapolitanorum vires ruinam fortunis eorum atulisse, certum est. Ceterum, narret mihi quis in politicis literis quidquid lubuerit: argumentetur, systemata pangat, exempla alleget, omnes subtilitatum argutias adhibeat, ipsa necessitate ad justitiam vel invitum redire cogetur.

Scire velim ex Machiavello, quid sibi velit his verbis: *Si Princeps nuper in solium regale evectus (alieni imperii obsessorem intelligit) prudentia & meritis excellere videtur, facilius multo homines sibi conciliabit, magisque illos devinciet, quam qui stirpis suae antiquitati fastigium suum debent. Potius enim praesentibus quam praeteritis rebus capiuntur homines, & si praesentia illis sint commoda, eorum fructu contenti facile conquiescent.*

Credite Machiavellus, ex duobus aequae validis & sapientibus Principibus dominum legitimum nefario regni obsessori ab universa natione postpositum iri? Num vero virtutum expertem Principem opponit Praedatori, alacri & prompto ad omnia ingenio praedito? Prior interpretatio ex mente auctoris esse nequit, cum communibus enim sanae rationis atque intelligentiae notionibus



pugnat. Effectus hic esset sine causa, si populus studia hominis, violento facinore imperium in se sibi molientis, ceterum nullo merito Principe legitimo praestantis, amore praeveniret.

Sed nec altero sensu haec verba capi possunt. Quantacumque enim ingenii ornamenta homini alienum imperium invadenti tribuantur, nemo non tamen violentam machinationem, qua potentiam suam extollit, injustitiae nomine damnabit.

Quam sui expectationem faciat homo, qui a scelere auspiciam capit, nisi violenti & tyrannici gubernatoris? Res ita se habet, ut si quis uxorem, quam ducit, ipso nuptiarum die fidem matrimonii violare comperiat, meo quidem iudicio, de novae nuptiae per reliquum vitae tempus virtute, triste augurium aget.

Machiavellus capite hoc damnatoriam de se sententiam pronunciat. Luculenter enim dicit: sine amore populi, sine magnatum benevolentia, & sine exercitu bona disciplina instituta, nunquam fieri posse, ut Princeps suo in solio se tueatur. Veritas ipsa hoc quasi clientelae & in se fidei sacramentum homini expressisse videtur, quod fere Theologi tradunt de Geniis Tartaro addictis, qui Deum agnoscunt, sed impie & contumeliose de eo loquuntur.

(1) Gratiam populi & magnatum sibi conciliaturo, fundamenti loco virtus ponenda est. Principem humanum & beneficum esse, & praeter has bonae mentis virtutes dexteritate molestas muneris sui functiones obeundi pollere oportet.

Eadem hujus muneris, quae aliorum omnium ratio est. Quamcumque homines exercent artem,

(1) Vide quaeso, quam contraria sint, quae ponit.

tem, nisi iusti & rerum suarum intelligentes sint, numquam aliorum bene de se sperantium fiduciam sibi conciliabunt. Corruptissimus quisque semper cum bono viro causam sibi intercedere mavult, sicut & ignarissimi semet regendi homines ejus, qui prudentissimus habetur, auctoritatem sequuntur? Quid? vel minimi oppidi Consul vel Praetor, si rem bene gerere velit, bonus vir & industrius esse debet: regia vero dignitas sola rerum suarum administrationi peccandi auctoritatem adferat! Animos hominum sibi conciliaturus & ad usus suos adjuncturus talis esse debet, qualem definivimus, non vero ex praescripto Machiavelli, toto Operis hujus cursu tradito, injustus, crudelis, honoris & laudis avarus, & in cura potentiae suae amplificandae unice occupatus.

Talis jam persona demta & vera facie reddita adparet Politicus hic, seculo suo maximi ingenii vir habitus, quem multi Principum consiliiarii licet pestiferum agnoverint, tamen sequuti sunt: cujus abominandis politicae artis consiliis Principes imbuti fuerunt: cui nemo adhuc eo, quo disputare par erat, ordine & lege respondit: cujus vestigia Politici plurimi, licet crimen deprecentur, legunt.

Felix & ex astris mihi decidisse videbitur, qui funditus ex rerum universitate Machiavellismum evertere poterit! Equidem quam ineptus is & minime consentaneus rationi sit, demonstravi: his, quorum imperio orbis terrarum regitur, relinquuntur, ut exemplis suis eum resellant & coarguant. Necessitatem sentiant sibi inpositam esse, ut mendeantur falsae, quae vulgo homines infecti sunt, persuasioni de Politica arte; quae, cum systema sapientiae disciplinam describens esse debeat, com-



muni tamen suspicione laborat, quasi dolorum & technarum Epitome sit. Principum partes sunt, argutias & malam circa pacta fidem exterminare, suumque vigorem praestare honestati & candori, qui, si dicendum quod res est, vix inter summi imperii Principes reperitur. Principes demonstrare decet; se tam parum vicinorum suorum regionibus invidere, quam ardentem conservandis imperii sui finibus student. Princeps, qui omnia spe & avaritia devorat, similis est ventriculo, qui nimis se replet & obruit cibus, securo, quam impar iis digerendis sit. Princeps, qui cupiditates suas bene gubernandi finibus describit, similis est homini, qui temperanter cibum capit, cap-tumque in ventriculo bene digerit.

## C A P. XXV.

Quaestio de libertate hominis in eorum pro-blematum numerum referenda est, in quibus penitus explicandis & ad vivum refecandis subtilia Philosophorum ingenia se torquent, Theologis vero horribilia dirae devotionis carmina ex ore eliciuntur. Libertatis partes tuentium familia ita ratiocinatur: Si homines liberos esse neges, Deus in illis aget, Deus adeo ministerio illorum percussorum caedes, latronum rapinas & singula crimina committet, quod sanctitati ejus haud obscure repugnat. Porro: Si praepotens rerum Deus parens est vitiorum, & maleficiorum, quae parantur, auctor: impunitatem habituri sunt rei scelerum, discrimenque criminum & virtutum e mundo tolletur. Quod dogma, cum nec sine horrore cogitari, nec sine infinita rerum repugnancia statui possit, commodiorem nemo sequetur partem,

tem, nisi qui prae se fert & profitetur hominis libertatem.

Qui stant a partibus necessitatis omni lege & conditione solutae, regeant: Deum opifice coeco vel in tenebris opus faciente homine inferiorem fore, nisi mundo creato eventus ejus futuros praevidisset. Automatarium faber, inquiunt, vel minimae, qua constat horologium, rotulae vim & actionem callet. Cognitum enim habet motum, quem ipsi dedit, & finem, cui eam destinavit. Et vero Deus, cujus sapientia infinita est, curiosus & iners actionum humanarum spectator fuerit! Quid? idemne Deus, cujus singula opera insignitam certi ordinis notam prae se ferunt, & legibus quibusdam immutabilibus & constantissimis adstricta sunt, solum hominem nulli subiectum nec aliunde pendentem (1) reliquerit? Ita sane non aeterna Providentia, sed libido & pertinacia hominum mundum temperaret. Quapropter cum inter creatam & creatam rem eligendi optio relinquatur, utra automatos machina erit? Ratio consentaneum est, hanc potius rem, quae imbecillitatis sedes est, quam illam, in qua potentia residet, machinae loco habere. Itaque ratio & animi affectiones occultae & latentes sunt catenae, quibus velut manu prehensis Providentia Dei genus humanum ducit, ut concurrant omnia ad praestandos eventus, quos pro aeterna sapientia sua mundo praestituit. (2)

Quid quaeso hoc aliud est, quam ad Scyllam propius accedere, ut Charybdim evites. Nonne

(1) sed liberum

(2) ut in hac rerum natura sequantur, siquidem singuli homines inpleverint fata sibi destinata.



Philosophi mutuo se in immensam perabsurdorum commentorum voraginem adurgent, dum Theologi andabatarum more pugnant, & pro charitate Christiana religiosissimo pietatis affectu sese damnant? Factiones istae bellum sibi inferunt, propemodum ut Carthaginenses & Romani se vexabant. Illi enim, cum ab adventu Romanarum in Africam copiarum periculum esset, facem belli in Italiam transferebant: hi rursus Hannibalem urbis & Italiae terrorem exterminaturi, legiones suas ductu & auspiciis Scipionis ad tentandam Carthaginem miserunt. Philosophi, Theologi, & maxima pars invictorum argutiis heroum indole nationis Gallicae praediti sunt: strenui & alacres impetum faciunt: sin vero in angustias belli sustinendi & a se propulsandi redacti fuerint, actum de illis est. Quo factum est, ut festivum quondam caput Deum omnium sectarum parentem dixerit, quia omnibus paria dederit arma, hinc meliorem faciem, illinc deteriorem. Quaestionem hanc de libertate hominum & decreta illis ab aeterno beata vel tristi post mortem sorte, ex Metaphysicis in Politicis Machiavellus deduxit. Atqui campus hic ei plane peregrinus steriliorque est, quam ut in eo pascere ac nutrire se possit. In Politicis enim non attinet disputare, utrum liberi simus arbitrii, an minus? num in fortuna & casu aliquod an nullum rei gerendae momentum insit? sed ea proprie hic expendenda tantum sunt, quae perspicaciae & prudentiae absolutionem perficiunt.

Fortuna & Casus sunt inanes sine mente soni, quorum, ut maxime probabile videtur, origo repetenda est ex profunda ignorantia, qua ejus aetatis homines immergi jacuerunt, cum vaga & ambi-

bigua nomina illis inponerentur effectibus, quorum causae incognitae erant.

Caesaris quae dicitur vulgo fortuna, proprie significat eam temporum rerumque sic concurrentium conditionem, ut ad exsequenda, quae inopotentis animi homo agitaverat, consilia, omnia accommodata essent. Quod infortunium Catonis vocant, nihil aliud notat, quam quae ipsi improvisae & inopinatae acciderunt calamitates, importuna illa tempora, quibus tam subiti causas sequebantur effectus, ut prudentia sua eos nec prospicere, nec superare vel corrigere potuerit.

Quid casus vocabulum sibi velit, nulla re clarius quam ludo talario explicari poterit. Casu, dicimus, evenit, talos a me jactos duodenum potius quam septenum exhibuisse numerum. Quod phaenomenon, si physica ratione evolvendum esset, oculi satis acuti requirerentur ad perspicendum accurate, hinc modum, quo tali scypho immittuntur, illinc ad observandum ipsos manus motus, magis minusque validos, magis minusque iteratos: hi enim talos cient & versant, iisdemque impulsu vehementiorem remissioremqve induunt: omnes hae causae conjunctim sumtae casus nomine veniunt.

Dum nihil aliud quam homines erimus, homines, inquam, arctissimis naturae finibus circumscripti, numquam sic dictis fortunae istibus superiores erimus. Equidem, quantum in nobis est, fortuna occupanda & futura casui praeripienda sunt: sed vita nostra brevior est, quam ut omnia circumspectat percipiatque: & animus noster angustior est, quam ut omnia inter se comparet.

Exemplis, quae adfero, evidenter demonstrabo, supra vires & nervos humanae sapientiae esse,



esse, ut omnia prospiciat. Primi exempli factum est improvisa Cremonae oppressio a Principe Eugenio tentata. Coeptum sane omni, quae animo concipi potest, prudentia deliberatum, nec minus incredibili vi & robore perfectum. Vide, quaesio, qui casus consilii hujus successum interceperit. Princeps ille, primo diluculo in urbem successit per canalem, quo sordes publicae eluuntur, quemque Ecclesiastes, consiliorum Eugenii conscius, sibi patefecerat. Urbis haud dubie peritus fuisset, nisi duae res inopinatae intercessissent.

Primo (3) *Legio Helveticorum*, eodem mane ad bellicae disciplinae leges exercenda, prius in armis prodierat, quam opus esset: tantisperque illi restitit & repugnavit, dum cetera praesidii oppidani pars concurreret. Secundo dux itineris, Principem Vaudemontium ad portam quamdam urbis, hujus auspiciis occupandam, ducturus, a via aberraverat, quo evenit, ut delecta haec manus nimis sero succederet.

Alterum ex illis, quae proponere constitui, exemplum erit pax singularis, qua Angli cum Gallis seorsim coiverunt sub finem belli, de successore in regno Hispaniarum gesti. Nec consiliarii Imperatoris Josephi, nec maximi Philosophi, neque usu doctissimi Politici divinare potuissent, par chirothecarum universum totius Europae factum mutaturum fuisse, & eventus autem cum hac narratione ad verbum convenit.

Conjux Ducis Malbouroughii in aula reginae Annae, Londini, fungebatur honore \* *Supremae*

(3) le Régiment des Vaissaux

\* Grande Maitresse

in *Palatio Magistrae*, & quidem tantisper, dum maritus suus in expeditionibus Brabanticis geminam & laurearum & divitiarum messem colligeret. Conjux ista Ducis quippe gratiosa reginae, partes Herois tuebatur: ipse Heros existimationem & decus uxoris suae victoriis, quas reportaverat, sartam tectam servabat. Factio Torisiorum sibi adversa, quae pacem exoptabat, nihil tantisper valuit, dum conjux Ducis maxima apud reginam potentia floreret. Sed collectam hanc gratiam levissima satis causa effudit. Jusserat regina chirothecas sibi confici: imperaverat eas eodem quoque tempore conjux Ducis. Sed haec morae impatiens urgebat & instabat, ut femina chirothecarum confectioe quaestum faciens sibi prius quam reginae operam navaret. Regina pariter chirothecas suas exigente, matrona \* quaedam illustri Malboroughiae inimicior omnem negotii rationem reginae exponit, rei que hujus opportunitate tam maligne utitur, ut regina e vestigio intolerabilis insolentiae opinionem de conjuge Ducis, pridem sibi gratiosa, acceperit. Mulier ipsa chirothecarum opifex plene exacerbare coepit reginam narratione totius chirothecarum negotii, cujus singula momenta, quantum fieri poterat, velut atro carbone infuscata proposuit. Tam pauxillum fermenti eas habuit vires, ut omnium animi fermentescere, nec non ea, quae favoris amissionem sequuntur, maturari coeperint. Factio Torisiorum, hujusque caput, Tallardus in rem suam convertebant hanc occasionem, cujus, velut decretorii in alea jactus, ope palmam coeperunt. Conjux Ducis Malbouroughii paulo post loco gratiae,

H 5

\* Mashamia



tiae, quem tenuit, excidit, & cum illa pariter factio Wighiorum nec non consociata Principum cum Imperatore potentia concidit. Tam jocularis pene licentia in gravissimis rerum humanarum negotiis ludit, Providentia divina sapientiam magnosque spiritus hominum ridente; Causae frivolae & non nunquam ridiculae fortunam totorum simulque summorum in orbe imperiorum convertunt.

In laudato quidem exemplo parvulae feminarum rixae Ludovicum XIV eo ex discrimine liberaverunt, unde nec sapientia, nec viribus & potentia sua se forte expedire potuisset: socios item foederatos conditiones pacis vel invitos inire cogunt.

Hujus generis facta eveniunt, raro autem haec accidere, nec auctoritate illorum prudentiae & sagacitati fidem prorsus derogari posse, fateor. Similia sunt morbis, sanitatem corporis humani nonnumquam tentantibus, nec tamen impediuntibus, quo minus plerumque valetudinis robustae commodis fruamur.

Necesse ergo est, eos, quibus in hoc terrarum orbe rerum gubernacula commissa sunt, sagacitatis & prudentiae cultui operam dare. Sed in eo nondum omnia sita sunt. Fortunam enim domaturi & in potestate habituri, naturam suam versare & ad temporis casus flectere & torquere discunt, id vero perquam difficile est.

Generatim hic de duplici tantum naturae temperatura loquor, de confidentis animi vivida alacritate, deque lenta & circumspccta cunctatione. Cum vero hae ex morum genere petitaе causae physicam suam habeant causam, fieri vix potest,

ut

ut Princeps animum suum adeo in potestate habeat, ut tamquam Chamaeleon omnes assumat colores.

Videas secula quaedam favere eorum gloriae, qui malis artibus imperia sectantur, ut & hominibus istis audacibus & nihil non molientibus, qui nati videntur ad struendum in orbe terrarum res novas & extraordinarias, conversiones status, & bella. In primis nescio quis vertiginis & diffidentiae potens Genius, summos Principes inter se committit, & hominibus imperii cupidis occasiones subministrat, quaestum praedamque sibi ex mutuis horum diffidiis faciendi. Usque ad Ferdinandi Cortesii tempora nemo existit, cui non civilia Americanorum bella ad capiendam terram Mexicam adjumento fuerint.

Videas rursus tempora, quibus terrarum orbis minus aestuans non aliis, praeterquam lenibus imperiis regi velle videtur, tempora, quibus prudentia & circumspccta tantummodo agendi ratione opus est. Est haec felix quaedam malacia & tranquillitas in negotiis politicis, quae communitate pestiferas turbulencias sequitur. Tunc legationes praeliis efficaciores, quaeque gladio parum obtineres, calamo inpetranda sunt.

Princeps summus, ut ex omnibus rerum concurrentium momentis nonnihil lucrifacere possit, tamquam peritus gubernator navis ad tempora se conformare discet.

Dux exercitus si in loco & audens & circumspcctus esset, numquam fere frangi & superari potest. Fabius cunctando vires Hannibalis comminuit. Romanus hic non ignoraverat, Carthaginenses argento & supplementis militum haud instructos esse, nihilque aliud agendum sibi opus duxit; quam ut missis praeliis otiosus spectaret

exer-



exercitum hunc per se liqvescentem, hacque velut tabe consumendum. Hannibalis contra rationibus consultum & propositum erat praeliis decertare. Summa enim potentiae suae fortuita quaedam vis erat, ex qua maxima, quae colligi poterant, commoda promte & celeriter occupanda essent, ut deinceps firmitatem & robur potentiae suae adderet hinc terrore illo, quem facta, ad speciem magnitudinis splendida & ad famam virtutis animosae insignia, incutiunt: illinc emolumentis, quae ex subactis redundant provinciis.

Quodsi anno MDCCIV Elector Bavariae & Tallardus extra fines Bavariae non excessissent, ut Blenheimium & Hochstaedium versus castra promoverent, Sueviam totam in potestate ac ditione sua retinissent. Consociatae enim hostium copiae, cum summa rei frumentariae difficultate in Bavaria laborarent, ad Moenum se recipere & in diversa discedere coactae fuissent. Circumspecta itaque cautio, qua in hoc temporis articulo opus erat, cum locum non haberet, Princeps Bavariae rem, cujus conservandae potestas penes se solum fuit, ancipiti pugnae forti commisit, quae nunquam non memorabilis & nationi Germanicae gloriosissima fuit. Haec inconsiderata agendi ratio internecina Gallorum & Bavarorum clade, Bavariae, nec non totius, qui inter superiorem Palatinatum & Rhenum interjacet, tractus amisitione, satis poenarum dedit.

Vulgo fere non de temerariis, qui perierunt, sed iis potius, qui secunda usi sunt fortuna, sermones habentur. Cujus rei eadem, quae somniorum & vaticiniorum ratio est. Ex mille falsis & oblivione contritis paucissima tantum illa, quae  
eva-

evaserunt, recordamur. Atqui eventus potius ex causis suis, non causas ex eventu aestimare debebamus.

Concludo jam, populum ductu Principis sui, ad omne discriminis genus promti, plurima quidem tentare expeririqve, continui tamen periculi minis semper terri: Regem vero prudentem & circumspectum, sin minus naturâ factus sit ad magna & illustria facinora, ad ipsam magis imperii gubernationem natum videri. Alter periclitatur, alter vero conservat.

Ut hi vel illi magnum in orbe nomen adipiscantur, divina quadam temporum opportunitate nascantur oportet. Secus ornamenta naturae suae perniciose magis quam fructuosa sibi fuerint.

Omnes viros cordatos, praecipue vero, quos coelestis providentia aliorum gubernationi destinavit, summa ope niti deceret, ut certum & ratum rerum agendarum ordinem sibi praescriberent, in quo nihil non exacta ratiocinatione definitum, & tanquam in necessaria Mathematicorum demonstratione aptum inter se connexumque appareret. Hanc aequabilitatem singularum actionum & vitae perpetuitatem si tenerent, ejus ope consentanea sibi quae similia agerent, nec umquam a scopo aberrarent. Omnes temporum status rerumque eventus ad perficiendam propositi cujusque summam dirigi possent, ad exsequendum meditata consiliorum rationes singula concurrerent.

Quinam vero sunt Principes illi, a quibus tota rara naturae ornamenta, & dotes requirimus? Homines semper erunt, quique naturam illorum tantum praestandorum officiorum cumulum minime capere dixerit, verissima dixerit. Citius inveneris Poetarum Phoenicem & Metaphysicorum



rum monades, quam hominem Platonicum. Aequum adeo est, ut populus voluntate & conatu, quo Principes ad perfectionem aspirant, contentus sit. Ut quisque Principum longius ceteris a Principe Machiavelli se seceverit, ita probatior perfectiorque judicandus erit. Errata illorum & lapsus humanos toleranter ferre, aequum est, cum tot bonae mentis virtutibus optimisque propositorum consiliorum rationibus rependantur & exaequantur. Semper meminerimus, nihil omni ex parte perfectum in mundo reperiri, errores & vitiorum confinio laesas virtutes omnibus hominibus quadam velut haereditatis sorte obtingere. Omnium felicissima est regio, in qua mutua Regis & civium indulgentia suavitatem illam in communem societatem diffundet, sine qua vita onus est molestissimum, & orbis terrarum amaritudine referta vallis.

## C A P. XXVI.

Vidimus hoc Opusculo, quam falsae sint ratiocinationes, quibus nobis imponere & fucum facere Machiavellus instituit, cum bipedum sceleratissimos illustrium virorum persona indutos nobis repraesentaret.

Pro mea virili parte speciem & involucra virtutis, quibus Machiavellus scelera obduxit, deripere, falsamque opinionem, quam non pauci de politica Principum arte acceperunt, mortalium animis evellere studui. Regibus dixi, verae & genuinae politicae suae momentum in eo positum esse, ut populum sibi subiectum virtutibus antecellant, ne sentiant necessitatem sibi inponi ea in aliis condemnandi, quibus ipsi exemplo suo aucto-

ri-

ritatem afferunt. Negavi satis esse, ut existimationem suam factorum ad magnitudinis splendorem illustrium praesidio muniant, etiam opera, felicitatem generis humani spectantia, requisivi.

Diets subjiciam duas commentationes: altera de Legationibus, altera de illis belli suscipiendi causis disputabo, quae ex rei veritate justae dici possint.

Principum consiliiarii, qui commorantur in exteris aulis, speculatores sunt auctoritate publica instructi, qui omnes motus & studia Principum, ad quos missi sunt, vigilantissime observant. Eorum propositas consilii rationes penitus pernoscere, coepta & occultas vias indagare, actionesque prospicere debent, ut in tempore Principes quisque suos harum rerum certiores faciat. Praecipua quasi materia, quam tractent, & in qua versentur, legatis subjecta est regum amicitia, arctioribus vinculis adstringenda. Sed qui architecti pacis esse debuerant, saepe instrumenta belli sunt. Legati hi assentationibus, astutiis, illecebrisque ad elicienda ex aularum ministris imperii arcana utuntur. Inprudentes commoda solertia, superbos verborum lenociniis, lucri cupidos munusculis suis capiunt. Verbo, pessima quaeque, quantum in se est, nonnumquam admittunt, quia se ex officii praescripto peccare, deque in-punitate certos esse, persuasum habent.

Adversus horum exploratorum artificia Principes justas rebus suis cautiones adhibere debent. Si negotium legationis majoris sit momenti, Principum e re est, ut severe in vitam & mores consilii sui administratorum inquirant, ut exploratum habeant, num forte imber Danae austeram illorum virtutem solverit & emolliverit.

Die-



Diebus illis criticis, quibus de foedere & pactionibus agitur, prudentia regum solito vigilantiori excubabit cura. Ad rerum promittendarum naturam distincte & articulatim considerandam animos attentos tenebunt, ut ea quibus fidem suam obligarunt, praestare possint.

Pactio omni ex parte perlustrata, rerumque inde consequentium momenti ponderata aliam longe faciem exhibet, quam si simpliciter atque defunctorie eam consideres. Quod veri & solidi commodi speciem prae se ferebat, si propius ad lucem veritatis conferatur, misera esse conditio, speciosis integumentis involuta, salutique ac fortunae communibus exitiosa deprehenditur. Hanc cautionem atque praevisionem alia excipiat cura, in verborum, quibus pactionum formulae consignantur, explicandis significationibus occupata. Religiosus syllabarum auceps Grammaticus semper primas, alteras post solers Politicus partes tenebit, ne fraudulentae verborum & mentis discrepantiae locus relinqvatur.

In Politicis literis Sylloge quaedam singuli, in quos praecipiti celeritate Principes prolapsi sunt, errores colligendi essent, illorum nempe in usus, qui foederum vel pactionum formulas concipere volunt. Tempus in lectitandis illis consumendum varias eis meditationes suggereret, quae sane non possent non utiles illis atque salutare esse.

Non omnes cum exteris tractandae res legatis publica auctoritate instructis mandantur: ad tertiae saepe loca mittuntur privati, quibus hic eo liberior dicendi agendique facultas est, quo minus Principem suum, cujus personam sane Legati sustinent, dictis suis factisque illigatum tenent. Pacificatoriae conditiones, proximam illam, quam

Caes-

Caesar cum Gallis fecit, pacem antegressae, ista ratione atque via decisae & transactae fuerunt, insciis Imperii Principibus, marique potentibus fociis. Haec compositio apud Comitem (1) quemdam, cujus terras Rhenus alluit, confecta est.

Victor Amadaeus, peritissimus & solertissimus aetate sua Princeps, artem consilia sua dissimulandi omnium optime callebat. Europae aliquoties inposuit astutiarum suarum subtilitate, inter alia quoque, cum Marechallus Catinatus cucullum Monachi indutus, studiumque elaborandi in aeterna regiae hujus animae salute praetexens, Principem hunc a partibus Imperatoris abstractum Gallicae aulae sacris initiaret. Cui regis cum duce isto transactioni tanta cautio & dexteritas juncta fuit, ut foedus Gallias inter & Sabaudiam postea sancitum Principum in Europa oculis tamquam inopinatum (2) in genere politico phaenomenon adparuerit.

Quod exemplum Victoris Amadaei regibus proposuerim, non eo animo factum est, ut consilia & institutam rationem ejus probem aut vituperem (3): peritiam tantum & diligentissimam ejus circa hoc negotium prudentiam laudare volui, quae si ad honestos transferantur fines, regi cuivis necessariae sine ulla exceptione virtutes erunt.

Regula generalis haec est, ut altissimis & solertissimis ingeniis rerum arduarum & difficilium procuraciones committamus: nec homines solum seligemus callidos ad occultas machinationes, gratiae gratiae promptissimos, sed & tam acri oculorum

acie

- (1) de Neuwied  
 (2) & extraordinarium  
 (3) longe id a me abest.



acie armatos, ut physiognomonis more ex oculis, vultu, & fronte reconditos aliorum animi sensus pernoscant & quasi perlegant, ne quicquam perspicacitatem illorum fallat, sed omnia ratiocinantibus ingenii sui dexteritate prompta & aperta exstent.

Calliditate & astutia subtili non est abutendum: similes sunt condimentis, quorum justo frequentior in obsoniis usus stupore gustum opprimit, cibisque γλυκύπικρον illud adimit, ut palatum illis assuetum nihil tandem suavitatis inde sentiat.

Probitas e contrario omni tempore accommodata, & consimilis simplicibus & nativis est alimentis, quae cujuscunque naturae & habitus corporibus conveniunt, efficiuntque, ut robur & vires capiant, nec tamen fervore incalescant.

Principis candor, si perspectus & testatus fuerit, omnis haud dubie Europa plurimum in eo fiduciae collocabit, felix erit sine fraudum artificii, & validus sola virtutis ope. Pax & felicitas imperii instar centri sunt, ad quod omnes politicarum artium vias concurrere par est, idem scopus omnibus quoque, quas Princeps mandat, legationibus propositus esse debet.

Tranquillitas Europae praecipue fundata est in sapientissimi illius aequilibrum conservatione, qua praeponderantes summi alicujus imperii vires juncto aliorum Principum robore reprimuntur & exaequantur. Quae ponderum aequitas si turbaretur, verendum esset, ne summa ubique rerum conversio sequeretur, rursusque commune totius orbis imperium exstrueretur, Principibus neglecta armorum societate nimio plus fractis materiam illi praebentibus.

Pu-

Publicis itaque Principum Europae rationibus caute opus est, ne per indiligentiam quendam foedera umquam & actiones praetermittant, quibus nimii & potentis regni alicujus vires assequi & exaequare possunt; fidem illorum quoque damnabunt, quibus mala inter se discordiae femina spargere propositum est. Recordentur Consulibus illius, qui necessitatem concordiae ob oculos positurus apprehensam equi caudam vana virium contentione deripere nequicquam conabatur: cum vero setas separatim velleret, nullo negotio rem perfecit. Praeceptum hoc non magis in quosdam aetatis nostrae reges, quam in legionarios Romanorum quadrat, quia nihil nisi concordiae reconciliatio illos terribiles reddere, pacemque ac tranquillitatem in Europa conservare potest.

Praeclare cum mortalium genere ageretur, si nullis aliis, praeterquam negotiorum legatione transigendorum rationibus opus esset, ad justitiae studium tuendum, ad pacem jucundumque gentium inter se consensum redintegrandum. Non jam armis, sed rationum momentis res geretur, nec collum mucrone, sed altercando jugulum causae peteretur: Verum tuae, teterrima necessitas, amarissimae leges Principes invitos ad longe crudeliorem nonnumquam viam confugere cogunt. Dantur occasiones, quibus vel pro populi libertate, cui iniqva paratur oppressio, armata propugnandum est manu: vel etiam vi atque violentia occupanda sunt, quae iniqvitatis lenitatis precibus recusant: vel denique Principes populi sui causam Marti communi & praeliorum sorti committere debent. Isto vel simili in casu veri

I 2

ra-



rationem obtinet paradoxon illud: Bello bono bonam reddi & confirmari pacem.

Iusta vel injusta belli ratio ex causis aestimatur. Affectus & elati animi in potentia noctem saepe Principum oculis offundunt, iisque violentissima quaeque facta coloribus ad utilitatis speciem splendidis depicta exhibent. Bellum, quod rebus ultima necessitate pressis auxilio & allevamento est, (4) in casus paene desperatos reservandum, probeque nobis reputandum erit, numvana inflati animi specie delusi, num solida (5) ratione adducti in bella descendamus.

Bella quaedam injuriarum propulsandarum causa suscipiuntur, quae omnium iustissima esse, nemo inficias iverit.

Bella nonnulla commodi causa gerere coguntur reges, ut jura sua in controversiam vocata sibi asserant & tueantur. Causam suam armata agunt manu, praeliorumque arbitrio causae melioris decisionem committunt.

Bella alia rerum praecavendarum causa moventur, in quae Principes sapientissimo consilio incumbunt. Re vera bello tali invadimus & laecissimus alios, sed nihilo minus iustas ejus gerendi causas habemus. Quippe si potentia imperii cujusdam praeter modum aucta eruptionem terrarum orbi minetur, eique patefactis faucibus inhiare videatur, prudentiae est, praecipitem undarum lapsum mole objecta intercludere, dum res integra & in nostra potestate sita est. Cum enim nubes spissae sese intendere, procellae cooriri,

(4) caute suscipiendum &  
(5) & immutabili

ri, harumque praenuntia fulgura micare cernuntur: Princeps, cui vis mali imminet, cum solus tempestatem carminum incantamentis avertere nequeat, omnibus illis, si sapit, se confociabit, quibus idem periculum ejusdem necessitatis rationes adfert. Quodsi Aegyptiae, Syriae, Macedoniae reges adversus potentiam Romanorum conspirassent, numquam illa imperia ab his disjici atque converti potuissent. Foederis societas sapienter instituta ut & bellum strenue susceptum nimia illorum & formidolosa disturbassent consilia, quae post ad exitum perducta toti terrarum orbi compedes injecerunt.

Prudentiae est, non solum minora mala majoribus praeferre, sed & neglecta minus tuta via eam, quae tutior est, eligere. Princeps igitur, cui libera adhuc ramum olivae vel lauream eligendi optio datur, melius rebus suis consulat, si ad societatem armorum in communem hostem decretorum accesserit, quam si conclamata illa expectaverit tempora, quibus bellum indicere nihil est aliud, quam servituti & ruinae suae aliquam paullisper tarditatis moram afferre. Regula haec certissima est, satius esse praevenire quam praeveneri. Maximis viris (6) ea mirifice se semper probavit.

Non pauci Principum bellis sociorum suorum impliciti fuerunt ex lege pactio num, quarum conditionibus obstricti parte quadam copiarum auxili-

(6) res semper ex voto successit, quoties viribus suis usi sunt, antequam hostes manus illorum constringendi & potentiam suam destruendi opportunas nacti fuerint occasiones.



liarium illis subvenerunt. Principes fane foederibus & confociationibus carere nequeunt, cum qui propriis se viribus tueri valeat, in Europa reperiatur nemo. Convenit itaque inter illos, ut, si quis infestus & gravior casus inciderit, mutuis se subsidiis juvent, quae res securitati & conservationi illorum conducit. Uter sociorum confociationis percipiat fructus, casus & eventus, planum facit. Usu venit, ut uni amicorum parti laeta occasio hoc tempore faveat: alio rursus loco prosper rerum cursus alterius partis res fortunet.

Quocirca honestas & sapientiae civilis rationes pariter aequaliterque a Principibus postulant, ut fidem pactationibus obligatam religiose servant, conditionesque stipulatas timide vel potius sancte impleant, idque eo magis, quod praesidia, quibus populos suos protegent, ex foederatorum societate plus firmamenti ac roboris capiant.

Omnia igitur illa bella cum iustitia congruent, quibus nihil aliud propositum est, quam ut studia hominum aliena regna falsis nominibus furantium reprimant, jura sua legitima tueantur, libertatemque terrarum orbis factam tectam praestent (7). Reges si talia & similia moliantur bella, non est, cur cruoris effusi conscientia se crucient. Bella gerunt, sed necessitate coacti, etenim in confimili rerum & temporum statu minus malum est bellum, quam ipsa pax.

(8) *Olim Principes quidam de foedorum societate pa-*

(7) & oppressiones & violentos inpetus nimiam potentiam affectantium evitent.

(8) Locus hic se mihi offert aptus differendi de Principibus, qui inaudito in antiquitate mercatu sanguinem populorum suorum quaestui habent: quorum aula

*parum solliciti toto studio in eam curam & cogitationem incubuerant, ut milites suos venderent, & sanguinem civium suorum quaestui haberent.*

Miles patrie defendendae causa constitui coepit: quem pacta mercede aliis locare, fere ut mollosi & tauri pugnis committendi venundantur, mea quidem sententia nihil est aliud, quam fines, pacis & belli negotiis propositos pervertere. Sacras res nundinari nefas credimus, eheu! quid sanguine humano sacratius est?

Quod ad bella religionum studiis conflata attinet, haec si domestica & civilia fuerint, plerumque imprudentiam Principis arguunt, qui intemptivo studio alteram sectam alterius detrimento juverit: vel etiam nimio plus clausit vel reserverit usum caerimoniarum, quarum cultui haec vel illa religio addicta est: vel, quod magis est, vim & pondus adtulerit alterutrius factionis concertationibus, quae si a Principe in medio relinquantur, tanquam scintillae praetervolant: sin foveantur, incendia emittunt.

Quisquis rerum civilium curae atque administrationi strenue praestit, integram cuique conscientiae libertatem concedit; regem semper, sacerdotem numquam agit: is certam habebit viam, qua imperium suum tutum praestet a tempestatibus, quas imperiosi Theologi pro dictatura sua (9) saepe excitare conantur.

Bella religionum causa extrinsecus suscepta quantos iniquitatis & ineptiarum acervos habent? Castris Aquisgrano motis, Saxones stricto ferro ad-

auctionariae similis est tabernae, in qua copiae suae maximum pretium licitantibus venduntur.

(9) semper



adgredi, ut Christi sacris initientur, quod de Carolo M. accepimus: aut classe instructa Aegyptiorum Dynastiae conditionem amplectendi sacra Christiana proponere, mira perquam coepta sunt. Furor expeditionum Crucis sacrae auspiciis susceptarum debacchatus est: Di faxint, ut numquam refervescat!

Omne generaliter bellum tam ferax malorum est, tam incertos habet exitus, quaeque bellum sequuntur, tam perniciofa sunt regionibus, ut Principes numquam satis diligenter rationes suas subducere possint, antequam summa cogitationum facta illud suscipiant. Violentiae impetus, quibus armatae copiae terram hostilem vexant, vix minimi momenti instar obtinent, si comparentur cum infestis casibus, qui directo resiliunt & recidunt in ipsorummet qui bellum faciunt, Principum terras (10).

Quodsi reges omne genus miseriarum, ex unico tantum belli indicti adparatu in populos suos redundantium, veris (11) coloribus in tabula quadam depictum cernerent, nullus dubito, quin sensu quodam humanitatis adficerentur. Non tam viva rerum animo imaginandarum vi pollent, ut germanam & nativam cogitatione sibi depingere possint speciem horum malorum, quae cum incognita, tum summi, quem tenent, loci causa metuenda sibi non sunt. Tangantne eos, quae a populo exiguntur, tributa? faciesne regionis, juven-

(10) Sane belli suscipiendi negotium tam grave, tantique momenti est, ut mirum sit, tot reges tam facile ejus ineundi consilium cepisse

(11) & fidis

ventute in supplementum abducta, orbatae? contagiosine, qui exercitus vastant morbi? horrorne praeliorum, majorique crudelitate grassantium obsidionum? calamitasne vulneratorum, amputata hostili ferro membra, unica industriae & diurni quaevis organa deflentium? luctusne sobolis patre suo, unico infirmae aetatis adminiculo orbatae? cladesne tot rei publicae utilium virorum, in ipsa herba subita necis falce demessorum?

(12) Reges, qui fervorum loco cives suos habent, nulla miseratione adfecti eos in discrimen dant, aequisque oculis cadentes adspiciunt. Principes vero, qui cives suos pares secum & ejusdem humanitatis socios existimant, seque populi tamquam corporis animam credunt, sanguinem civium suorum more patris familias caute dispensant.

Supremam operi huic manum inpositurus facere non possum, quin a summis rerum Principibus libertati, qua in differendo usus sum, invidia veniam deprecem: propositum mihi est vera dicere, virtutem excitare, nullius vero auribus servire. Optima, quam de Principibus hac aetate rerum potentibus habeo, existimatio, facit, ut ipsos dignos judicem, qui veritati aures advertant.

Coram Nerone aliquo, Alexandro VI., Caesare Borgia, Ludovico XI<sup>mo</sup>, nemo ad veritatem

(12) Principes, qui in hoc terrarum orbe vitam degunt, ut optime de genere humano mereantur, probe deberent rationes suas subducere, antequam frivolis & vanis causis inducti eos rebus omnibus, humanae conditioni terribilissimis, exponant.



tem loqui aufit. Magnae Diis immortalibus gratiae habendae, quod tale genus hominum non appareat hodie in numero Principum Europae; apud hos singula, (13) quae regiae dignitati opprobrio, justitiaeque inimica sunt, audacter taxari posse qui dixerit, ne pulcherrimo eos elogio maculaverit.

(13) vitia, quae regiae dignitatis fastigium destruant, humanitatisque & justitiae sensui contraria sunt.

F I N I S.



Elenchus potiorum mendarum, ab ipso auctore, quantum per valetudinem operasque subservivas licuit, collectarum. Quarum fat largam messem Lector humanus & æquus absentiae auctoris condonabit.

*In Dedicacione.*

P. 6. l. 10. pro ardes. l. artes.

*In Prooemio.*

P. 4. l. 8. pro instantium. l. instantium.

*In Opere ipso.*

P. 2. l. 4. l. debebant.  
 P. 3. l. 9. l. occupatio.  
 P. 4. l. 3. l. interfese.  
 P. 4. l. 25. l. virium.  
 P. 6. l. 13. l. viderunt.  
 P. 8. l. 4. l. infirmata. l. 6. l. inveniantur.  
 P. 9. l. 2. l. institutis.  
 P. 10. l. 13. l. ad lites.  
 P. 11. l. 18. l. praeter imperiorum.  
 P. 13. l. 1. l. diversa.  
 P. 14. l. 4. l. Mazarinus. l. 29. l. solerter.  
 P. 16. l. 26. l. quantum, quantum. l. 32. l. extenduntur.  
 P. 20. l. 15. l. auspiciis. not. 3. l. inpostoris.  
 P. 22. not. 9. l. proxime.  
 P. 23. l. 2. l. montibus Sevennae.  
 P. 25. not. \*1. l. intelligences.  
 P. 27. l. 26. l. fide. not. 11. l. atque.  
 P. 32. not. 8. l. 19. l. pro invehit l. invenit.  
 P. 33. not. 11. l. ut populo.

P. 34. l. 11. l. humano. not. 15. l. 7. l. Machiavellus.  
 P. 35. l. 22. l. efflagitamus.  
 P. 37. l. 15. l. momenti (4) usurpaverat.  
 P. 38. not. 1. l. possunt. l. 25. l. non infinitis solum.  
 P. 39. l. 29. l. universe.  
 P. 40. l. 13. l. resistendo. not. 4. l. defixis.  
 P. 41. l. 5. l. amicosque. l. 8. l. tibi. l. 9. l. ipsos. not. 8. l. 13. l. abjiciant.  
 P. 42. l. 28. not. 8. l. fortitorum. not. 8. l. 37. l. sane. not. 8. l. 37. l. agnoscendum.  
 P. 43. l. 9. l. quoddam. l. 16. l. obsideantur.  
 P. 44. not. 12. l. turba aut.  
 P. 45. l. 4. l. potitos. not. 5. l. animos accommodata.  
 P. 47. l. 2. l. Lacedaemoniorum. l. 15. l. tenent. l. 23. l. At phaenomenon.  
 P. 48. l. 10. l. stomachosiores. l. 21. l. tantamque.  
 P. 49. l. 3. l. immutari. not. 15. l. causae.  
 P. 50. l. 23. l. detrimenta.  
 P. 51. l. 2. l. imperii. l. 4. l. artis. l. 14. l. cives suos. not. 5. l. praestantiores.  
 P. 53. l. 3. l. otiorum. l. 6. l. dementer. l. 23. l. penc. l. 24. l. nullis.  
 P. 54. l. 6. l. gloria. l. 23. l. gubernationi.  
 P. 56. not. 17. l. ostendere.  
 p. 56.



- p. 56. l. 19. l. refecetur, (2) forte. l. 6. not. 1. l. paralogifmum.
- p. 58. l. 2. l. societate. not. 6. l. virus.
- p. 59. l. 21. l. reportaret (10).
- p. 60. l. 3. l. superandi. not. 2. l. constitutionis.
- p. 61. not. 5. l. crudelis.
- p. 62. l. 11. l. nimis.
- p. 63. l. 23. l. fui. not. 6. l. arrogamus. not. 6. l. tyrannice.
- p. 64. l. 7. l. dominis. l. 19. l. sensuum.
- p. 67. l. 6. omnes atque habitatores. not. 2. l. ex singulari.
- p. 71. not. 4. l. injurias. not. 6. l. 5. l. ut eam.
- p. 72. l. 25. l. Poenum. l. 31. l. defecta.
- p. 73. l. 20. l. rivulos.
- p. 75. l. 7. l. inponere. l. 21. l. oculi conjectus. not. 3. l. populus.
- p. 76. not. 6. l. dissimulatio.
- p. 77. l. 3. l. debeant.
- p. 79. l. 5. l. portam.
- p. 85. not. 6. propugnant.
- p. 86. l. 24. l. duos. l. 30. l. non.
- p. 88. l. 18. l. tantorum.
- p. 90. l. 20. l. munire.
- p. 92. l. 27. l. ex factionibus.
- p. 93. l. 7. l. viros.
- p. 95. l. 20. l. ex longo fatis.
- p. 98. l. 10. l. exprobrantur.
- p. 100. l. 19. l. maxime.
- p. 101. l. 9. l. ditissima.
- p. 103. l. 5. l. aquilonum. lin. penult. l. senectutem.
- p. 106. l. 1. l. sunt. l. 6. l. quantalacumque. l. 16. l. paene. l. 22. l. At.
- p. 107. l. 28. l. rerum.
- p. 110. l. 27. l. vitia.
- p. 112. l. 12. l. Trajanus.
- p. 113. lin. penult. l. cum.
- p. 121. lin. penult. l. ceperunt.
- p. 122. l. 14. l. coegerunt.
- p. 124. l. 26. l. gloriosissima.
- p. 129. lin. penult. l. colligendaeque gratia.
- p. 131. l. 2. l. cauto.
- p. 134. l. 29. l. foederum.
- p. 135. l. 4. l. patriae.
- p. 136. l. 2. l. Carolo.
- p. 138. l. 6. l. nae.